Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/analectahymnicam26drev

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXVI.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Sechste Folge.

BIBLIOTHECA

Leipzig.
O. R. Reisland.
1897.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Sechste Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Guido Maria Dreves

S. J.

BIBLIOTHECA MONACENSIS

Leipzig.

O. R. Reisland.

1897.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

JUN - 8 1938

10806

VORWORT.

Der vorliegende Band der Analecta umfaſst weitere Reimofficien von Eskillus bis Margaretha.

In diese Folge wäre auch das Officium des hl. Iustus aufzunehmen gewesen, welches in den Acta SS. Novemb. I, 430 aus einem Breviere des 14. Jahrh. „in archivis diplomaticis urbis Tergestinae“ mitgeteilt wird. Da indes der Text sich in einem trostlosen Zustande befindet und ohne neue Quellen, die mir nicht zu Gebote stehen, unmöglich zu emendieren ist, mag hier ein Hinweis auf den Abdruck der Bollandisten genügen.

In dem Repertorium Hymnologicum von Ulysse Chevalier finde ich einige Nummern, hinter denen sich ein mir unbekanntes Reimofficium verbergen könnte. Es sind die folgenden:

186. Ad laudem regis gloriae | de thesauris ecclesiae | lapides . .
Transl. ss. reliquiar. — ae. v. etc. 5×6. — B. Silvanecten. (1521), e.

341. Adest dies celebris | qua mentis anxia febris . . . . . .
Recept. reliquiar. b. Brioci. — ae v. etc. — 5×4. — B. Briocen. (1548), e.

3775. Congaudeat ecclesia | exsultet urbs Lutetia | pontificis . . .
S. Germanus ep. Paris. — ae. v. etc. — 2×4 Casalis Bened. (1534).

11 175. Martha nobis virginis filium | quem pavisti redde pro . .
S. Martha. — a. magn. etc. — 4. B. Lemovicen. (1495), 315.

12 726. O Botulfe tuo cum fratre suavis Adulfe qualis eras vit.
S. Botulfus. — off. — *14. — Mabillon, Acta ss. Bened. III, I, 7.

13 018. O fundatrix Begginarum | gregem tuum dirige | in od . .
S. Begga, elev. et transl. — a. magn. etc. — 4. — O. Ultraiect. (1640), XXV.

13 064. O gloriose Lazare | quem Iesus suscitavit veni nos inv . .
S. Lazarus Massil. — a. magn. etc. — 6. — B. Arosien. (1513), III, 13.

13 113. O iucunda parens caelesti prole beata | haec aeterna suae . .
S. Coleta. — ae. v. etc. — 5 × 2. — O. mon. S. Clarae Traiect. (ms.).

17 150. Regi sponsoque virginum | iubilet plebs fidelium | in hac . .
S. Walburga. — invit. etc. — 4. — B. S. M. Antnerp. (1496).

18 651. Sanctus Galectorius | praesul Lascurrensis | orabat devo . .
S. Galactorius. — a. v. etc. — 6. — B. Lascurren. (1541): (1891), 35—8.

19 146. Sollemni iam laetitia | recolitur victoria | qua papa beat . .
SS. Cornel. et Cyprian. — ae. v. etc. — 5 × 6. — OO. PP. Belli Reditus (17 . . .), 1; abb. Ninhovien. (1692), 3: (17 . .), 3.

In der Mehrzahl dieser Fälle bleibt es nämlich zweifelhaft, was wir uns unter dem etc. zu denken haben Denn das Repertorium verweist in solcher Art zuweilen auf ein vollständiges Officium; so z. B. unter Nr. 6435. *Fons hortorum redundans gratia*, wo ae. v. etc. die Anal. XXIV, Nr. 25 mitgeteilte Historia Visitationis bedeuten, obschon die beigefügten Zahlen 6, 4 × 4 nahelegen, dafs es sich nur um fünf Antiphonen handle, von denen eine, die erste, aus sechs, die übrigen vier aus je vier Zeilen bestehen. Umgekehrt weist unter den oben aufgeführten Nummern 12 726, die einzige, die ich zu kontrollieren in der Lage bin, nicht auf ein Officium, sondern nur auf eine vereinzelte Antiphon hin, obschon hier ausdrücklich von einem off. (officium) geredet wird. Was sich bei Mabillon am (nicht richtig) angegebenen Orte findet, sind vier Hexameter. von denen er bemerkt, sie seien einst im Officium des hl. Botulphus gesungen worden. Ob dies ganze Officium, das er in einem Codex Uticensis gesehen, ein rhythmisches war oder nicht, verschweigt er. Darauf folgen dann zehn andere Hexameter mit der Aufschrift: Item alii versus. Woher diese alii versus genommen, giebt M. nicht an. Unser Repertorium macht daraus kurzer Hand ein Officium und 14 Verse. Bei solchen Erfahrungen mufs es im Dunkeln belassen werden, ob in den vorstehenden Nummern (ausgenommen nur die gedachte) auf eine ganze Historia oder blofs auf einzelne Antiphonen verwiesen werden soll.

Verloren ist für uns ein Reimofficium auf den hl. Frigdian, von dem sich in einem handschriftlichen Diurnale von St. Frigdian zu Lucca leider nur noch sieben Antiphonen erhalten haben. Die Antiphon zum Magnificat ist bereits Anal. XXIII, 177 in den Noten mitgeteilt.

Einzelne rhythmische Teile eines Officiums auf den hl. Domnius finden wir im ersten Bande von Farlatis Illyricum sacrum. S. 503 u. f. teilt er ein älteres Officium mit, das indes Hymnen enthält, die augenscheinlich ein Produkt des Humanismus sind. Er überschreibt das Officium „Ratio officii ecclesiastici et nunc antiquati. Ex Cod. ms. Archivii Archiep. Spalat., cui titulus Officia ss. Patronorum ecclesiae Spalatensis.“ Dies Officium enthält fünf Antiphonen ad Vesp. et Laudes in Distichen:

1. Exposuit primus fidei qui sacra Salonis,
   Commigrat e terris hac super astra die.
2. Intrepidus Christum clara dum voce fatetur
   Domnius, exsecuit saeva machaera caput.
3. Cuncta Saloniadum resonant te litora, Domni,
   Te noster coetus sentiat usque pium.
4. Nos tua festa, pater, plena veneramur acerra,
   Domni, ne nobis caelica dona neges.
5. Ad te confugimus nos, qui iactamur in undis
   Tu, Domni, e portu dirige tutus iter.

Aufser diesen Vesperantiphonen enthält jede der drei Nokturnen eine rhythmische Antiphon super Psalmos:

1. Hilares colimus festa patroni,
   Par est laetas promere voces,
   Domnius alta scandit ad astra.
2. Celebris praesul Domnius istas
   Roseo tinxit sanguine terras,
   Cura vigili rexerat ante.
3. Quantus fuerit Domnius, infer,
   Quem formavit puerum sanctis
   Monitis Petrus pluribus annis.

Ein zweites Officium entnimmt der Verfasser l. c. 504 sq. einem 1690 zu Venedig gedruckten Proprium. Dies Officium enthält folgende poetische Teile:

In 1. Vesperis ad Magnificat.

A. Salve, clara dies, qua nostrae Domnius urbis
   Praesul ad aethereas se tandem sustulit arces
   Et victo laetus percepit dona tyranno,
   Siderea semper radiantem luce coronam.

In Laudibus ad Benedictus.

A. Pontificum norma, splendor pretiosaque gemma,
   Serta venustatis retinens cum martyrizatis,
   Scandere caelorum da nobis regna polorum,
   Qui barathri claustris puerum precibus revocasti.

BQ
5253
.A5
N26

In 2. Vesperis ad Magnificat.

A. Magnificate Deum, Petro quoque solvite grates,
Namque ducem nobis misit, qui nocte fugata
Erroris circumfudit nos lumine veri,
Ne quis possit iter stabilis non esse salutis.

Infra Octavam Ad Magnificat.

A. O quam sancta dies, o quam festiva refulget,
Viribus o totis castis celebrandaque votis,
Qua bonitate bonus noster meat astra patronus
Domnius ad vitae gaudia perpetuae.

Ähnlich verhält es sich mit einem Officium auf den hl. Patricius, das zwar in Prosa abgefafst, indes mit einigen poetischen Antiphonen, namentlich in der ersten Vesper, verbrämt ist. Dasselbe findet sich in folgenden Quellen: Antiph. ms. Clondalkinense saec. 15. Cod. Collegii ss. Trinitatis Dublinen. B 1, 3; Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. ex. Cod. Collegii ss. Trinit. Dublinen. B 1, 2; Antiph. ms. S. Iohannis Dublinen. saec. 15. Cod. Coll. ss. Trinit. Dublinen. B 1, 4; Brev. ms. Dublinense saec. 15. Cod. Coll. ss. Trinit. Dublinen. B 3, 13. Die erste Antiphon der Vesper ist prosaisch; dann aber folgen vier, wie es scheint, später eingeschobene Antiphonen:

Altare lapideum
Sancti pretiosum
Ultra maris alveum
Transvexit leprosum.

Signo crucis edito
Fons per Christi numen
Manat, quo dat concito
Caeco nato lumen.

Aquam suis precibus
In mel commutavit,
Quo nutricem langnidam
Satians sanavit.

Collectis fragminibus
Multis glacierum
Ignem suis precibus
Accendebat verum.

An diese Antiphonen schliefst sich ein ebenfalls rhythmisches Responsorium:

R. Magni patris sunt miranda
merita Patricii,
Cui Dominus ostendit
locum purgatorii,
Quo viventes se expurgent
delinquentes filii.
V. Dono purga nos, Patriti,
tui adiutorii
Diluens prece felici,
quod habemus vitii.

Die Antiphon zum Magnificat der ersten Vesper und das Invitatorium der Matutin lauten:

Ad Magnificat.

A. Christi puer capitur
Et in servum venditur,
Pascit porcos regis,
Quem Christus elegerat
Et pastorem noverat
Fore sui gregis.

Invitatorium.

Laudemus regem per saecula cuncta regentem,
Patricium patrem caeli qui vexit ad arcem.

Damit kehrt das Officium zu Prosa und Reimprosa zurück. Eine in die erste Vesper eingeschobene Prosella auf die beliebte Melodie *Sospitati dedit aegros* wird später an geeigneter Stelle mitgeteilt werden.

Einen Beweis für die Verbreitung und Beliebtheit der Reimofficien bietet der Umstand, dafs einem französischen Lobgedicht auf König Karl VII. von Frankreich die Form eines Reimofficiums gegeben wurde. Der Titel dieses Curiosums lautet: Sensuiuent les vigilles de la mort du feu roy Charles septiefme a neuf pseaulmes et neuf lecons, contenans la cronique et les faits advenus durant la vie dudit feu roy, composees par maistre marcial de paris dit dauvergne, procureur en parlement. s. l. et a. Gedruckt wurde dasselbe zu Paris von Pierre Laron 1490 und zählt 227 SS. in 4°. Folgendes zur Probe:

Invitatorium.

Venite nunc et ploremus
Pour le trespas du feu bon roy
Et ses bienfais recolemus
Comme conduits en bon arroy
Sans nous souffrir vivre en defroy
Dont le louer bien debemus
Et sy gardoit iustice et foy
Venite nunc et ploremus etc.

Antiphona: Placebo.
Primus Psalmus.

Helas les douleurs de la mort
Don bien accoup enuironne
Le bon roy et le bon renconfort
Que Dieu nous avoit ordonne
etc. etc.

Ein weiterer Beweis für diese Beliebtheit liegt mehr noch als in dem Umstande, dafs sich einige wenige Reimofficien,

namentlich die des Franziskaner- und Dominikanerbreviers bis heute erhalten haben, darin, dafs noch im siebzehnten Jahrhundert, nachdem doch die Hochflut der Renaissance das Antlitz der Erde verändert und dem Geschmacke eine völlig entgegengesetzte Richtung gegeben hatte, einzelne solche Officien konnten verfafst werden. Ein Beispiel hievon ist diesem Bande einverleibt worden. Es ist das Reimofficium auf den hl. Florian Nr. 11 b, welches von dem nachmaligen Propste von St. Florian David Furmann um die Mitte des 17. Jahrhunderts teilweise mit Verwertung mittelalterlichen Materials zusammengestellt ward.

Eine Analogon bietet die Handschrift 11 528 der kk. Hofbibliothek hieselbst, ein unter Kaiser Leopold I. geschriebenes und wohl auch verfafstes Officium de Immaculata Conceptione in Reimversen und eine ebensolche Messe. Im übrigen mittelalterlichen Vorbildern folgend, vermeidet indes der Dichter den Hiatus durch Anwendung von Elision. Die beiden ersten Antiphonen der ersten Vesper lauten:

Rex immensae potestatis
Hortum sibi voluptatis
Novo plantat ordine,
Ubi suum culpae virus
Non effudit serpens dirus
Adae infecto semine.

Tota lumine perfusa
Maria atque circumfusa
Electa ut sol emicat,
Habet esse cum splendore,
Nescia umbrae absque pallore
Pulchra semper emicat.

Zu dem Officium gehören vier ebenso behandelte Hymnen, zur Messe eine Sequenz. Diese beginnt:

Gaude, sponsa deitatis,
Vas totius sanctitatis
Ulla sine macula.

Die Anfänge der Hymnen lauten: In 1. Vesp.: *Exsultet cordis iubilo;* ad Matut.: *Virgineo orto sidere;* ad Laudes: *Iucundi o dies gaudii;* In 2. Vesp.: *Hymnum tellus laetitiae.*

Wien, den 12. Januar 1897.

Guido Maria Dreves.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

SERIES SEXTA.

1. De sancto Eskillo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudent Sudermanniae
Pueri parentem,
In prole Britanniae
Lapsos erigentem.

2. Confirmavit Dominus
Eskillum pastorem,
Quem despexit populus
Sequens vastatorem.

3. Fidens in principibus
Turba gloriatur,
Ruina sculptilibus
Iuste praeparatur.

4. Iucunda laudatio
Gentis cum decore,
Quam pastoris passio
Traxit ab errore.

5. Portas tuas, Suecia,
Praesul confortavit,
Dum divina gratia
Fidem restauravit.

Ad Magnificat.

A. Eskille, flos praesulum,
Pater pietatis,
Clericorum speculum,
Doctor veritatis,
Tuae replet saeculum
Fama sanctitatis,
Iunge tuum populum
Civibus beatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Eskilli martyris
sollemnia
Devote celebret
ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Postquam hiems abiit
Infidelitatis.
Flos virtutis prodiit
Novae dignitatis.

2. Clamat praeco populis
Missus a supernis,
Ut intersint epulis
Regis sempiterni.

3. Fugat servus Domini
Varios errores,
Nulli cedens homini
Novos docet mores.

Responsoria.

1. Olim spinas germinans
Terra vastitatis
Fit iam rosas generans
Hortus voluptatis.
Venit dies terminans
Noctem vanitatis,
V. Dum luxit Sueciae
lux divinae pietatis.

2. Gaude, felix Suecia,
Laudans salvatorem,
Quia de Britannia
Tibi dat pastorem,
Qui vas plenum gratia,
Christi dans odorem,
V. Erranti tibi sit
divinum dux in amorem.

3. Lucem reddit nebulae
Stella matutina,

Novae vitam plantulae
Patris dat doctrina,
Quae rigata sedule
Lege de divina
V. Caelis electos
mittit flores sine spina.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Idola colentium
Arguit conatus,
Pro Christo martyrium
Subire paratus.

2. Aures claudunt aspides
Dentibus stridentes,
Et in patrem lapides
Iaciunt torrentes.

3. Scelus gentis flebilis
Hoc quam sit indignum,
Sanguis indelebilis
Evidens est signum.

Responsoria.

1. Surgit operarius
Pervigil in messe,
Non ut mercenarius
Cupiens praeesse,
Sed sicut eximius
Pastor vult prodesse,
V. Sanguine defendens
salvum numerum gregis esse.

2. Turbas diis libantium
Arguit securus,
Minas spernens hostium
Hostia futurus,
Nec patrem eximium
Flectit sermo durus,
V. Nec lapis aut ferrum,
sed firmus stat quasi murus.

3. Verbi ferit gladio
Fidem impugnantes,
Lucis obstant radio
Tenebras amantes,
Quem sacravit unctio,
Premunt malignantes,
V. Vas auri solidum,
vas ornatum reprobantes.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Alabastrum frangitur,
Fragrat vis odoris,
Omnis aegris tollitur
Passio languoris.

2. Clamant ad suffragia
Prius impugnantes,
Suorum vestigia
Pedum adorantes.

3. Pro nobis egregie
Deum martyr ora,
Ut nos caeli curiae
Reddat mortis hora.

Responsoria.

1. Transit ab exsilio
Mundi rubricatus,
In caeli rosario
Digne transplantatus,
Bino pollens praemio
Gaudet laureatus,
V. Qui gregis ante Deum
velit excusare reatus.

2. De patris absentia
Grex est in maerore,
Sed resumit gaudia
Magno cum favore,
Quia mirabilia
Fiunt a pastore,
V. Et sibi pro tanto
gaudens congaudet honore.

3. O proles Britanniae,
Recta via morum,
Praesul Sudermanniae,
Tutor orphanorum,
Te collaudat hodie
Digne gens Sueorum,
V. Quam, pater eximie,
ducas ad regna polorum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Legem hausit avide
Flore iuventutis,
Inde multis provide
Potum dans salutis.

2. Spreto solo patriae
Exit inspiratus,
Ad salutem Sueciae
Caelitus vocatus.

3. Iuxta votum omnium
Praesul sublimatus.
Est in virum alium
Subito mutatus.

4. Principem non timuit
Sacer hic Elias
Nec timens deseruit
Sacrae legis vias.

5. Exstinxerunt impii
Lumen tam praeclarum,
Quia lucem filii
Spernunt tenebrarum.

Ad Benedictus.

A. O praesul mitissime,
Patriae lucerna,
Lux errantis animae,
Devios guberna,
Ductor gregis optime.
Nos duc ad superna.
Ubi pascet intime
Gregem lux aeterna.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A Vale, pater patriae,
Fidei zelator,
Ritus idolatriae
Felix triumphator,
Nobilis ecclesiae
Doctor et fundator,
Tuae sis familiae
Dulcis consolator.

Brev. Strengneuse imp. Holmiae 1495. — In 1. Vesp. hymnus: Iam dies adest celebris (Klemming I, 104): ad Noct.: Eskilli pro victoria (ibid. 105); ad Laudes: Ad laudem sancti praesulis (ibid. 111). Hymnen und Officium sind von Brynolphus I, Bischof von Scara (1278—1317); cfr. Klemming l. c. 112; Acta SS. Feb. I, 935.

2. De sancto Eustachio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Caesar dum Traianus,
Quamvis tunc paganus,
Monarchiae praesideret
Et rem publicam augeret,

2. Tiro fidelis Placidus
Illi militavit,
Strenuus et acidus
Regna dispensavit.

3. Totus in virtutibus
Placidus nutritus,
Triumphandi nutibus
Maxime peritus.

4. Caritatis oculis
caelum pertraiecit,
Dapibus et poculis
Pauperes refecit.

5. Ex gentili largitate
Effluent encenia,
Quae favente deitate
Intrant caeli moenia.

Ad Magnificat.

A. Rupem cervus dum ascendit,
Retiaculum tetendit,
Placidum quo comprehendit
Tali sub oraculo:

Placide, tu me instigas,
Beneficiis alligas,
Me venaris et imbrigas
Caritatis iaculo;
Tu et tui,
Vultis frui
Vita, quae non labitur,
Paganismum
Fac baptismum,
Illa vobis dabitur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

O consurgamus,
laudes Christo referamus,
Eustachium iustum
bove qui sacravit adustum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus Eustachius
Graviter tentatus
Perdidit celerius
Res et magistratus.
2. Mortua familia
Pecora, iumenta
Et quaeque utilia
Nulla sunt inventa.
3. Furtim in triclinium
Intrat fur et latro,
Fugit morticinium
Noctis vir sub atro.

Responsoria.

1. Theopista doloribus
Anxia deduxit
Geminos prae foribus
Parvulos et luxit,
V. Cumque nescivit,
quo vir fugitivus abivit.
2. Itur in aquagium,
Uxor in obstagium
Naulo pro petito
Illis non habentibus,
Dare desiderantibus
Rapitur marito,
V. Coniunx intacta
sed permanet obside facta.
3. Eustachii natos
lupus et leo diripuerunt,
Hos quoque ablatos
homines vivos tenuerunt;
Hoc pater ignorat,
matrem natos quoque plorat,
V. Ut potuit cumque,
damnum deplanxit utrumque.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Paupertate vapulat
Et inter egenos
Campi custos exsulat
Annos per quindenos.
2. Traianus dimiserat
Nuntios per gyrum
Illum, quem amiserat,
Requirendo virum.
3. Vulnerum percussibus
Illum invenerunt,
Caesaris aspectibus
Salvum reduxerunt.

Responsoria.

1. Longinquo de confinio
Dum adproximatur,
Et suo dominio
Miles praesentatur,
Vultu cultu regio
Carus redimitur,
Sortis fortis legio
Sibi adunitur,
V. Ut regnum vernet,
regni quoque iura gubernet.
2. Ortum est disturbium
Dissensione mota
Castrorum et urbium
[Adest] virtus tota,

Cunctis civitatibus
Fatur, ut armentur,
Regni dignitatibus,
Ut auxilientur;
V. Convenerunt cuncti
regno cum foedere iuncti.
3. Eustachii nati
venerunt ad bella parati,
Viribus armati,
forti certamine grati,
Armis ditati,
bellantibus associati;
V. Non pater hos novit,
quos longa remotio fovit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Barbarorum sic quievit
Tumefacta gloria
Quam Eustachius delevit
Habita victoria.
2. Agapitus, Theopistus
Tentum quoddam intraverunt,
Conferendo, colloquendo
Sese fratres didicerunt.
3. Theopista clam hoc audit,
Benedixit Dominum,
Redemptori Deo plaudit,
Qui dat vitam hominum.

Responsoria.

1. Ad virum profecta recta
In maxilla prudens illa
Sternit, cernit
Cicatricem vulneris,
Nescit coniugalem talem,
Quem agnovit, cui vovit
Maritari
Sub nutu confoederis;
V. Clam coepit flere
lacrimas nequiens cohibere.
2. O Romane, vive sane
Dixit capitaneo,
Hac in terra sub acerra
Barbaris admoneo,
Meum ob Eustachium
Da salutis brachium
V. Et, vir praeclare,
fac me tibi compatriare.
3. Hanc mox agnovit,
cui blande talia movit:
Eustachius dicor,
uxor tibi dulcis amicor.
Es mea, dato fidem;
tuus et sum, dixit eidem.
V. Cuncti laetantur,
omnes et ei famulantur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Natorum absentiam
Pater quaerulatur,
Ob quorum praesentiam
Deum deprecatur.
2. O divina gratia,
Suntne mei nati
Per terrarum spatia
Vivi vel necati?
3. Domina quantocius
Verbis his respondit:
Gratulare potius,
Hos vita recondit.
4. Cum commilitonibus
Vidi hos manere,
Vacantes sermonibus,
Bene se habere.
5. Cum directo citius
Nuntio venerunt,
Patrem, matrem laetius
Illi susceperunt.

Ad Benedictus.

A. Eustachius cum paribus
Suis familiaribus
Statuuntur et ponuntur
In camporum sedibus,
Audax leo dante Deo,
Quamvis ferus et severus,
Inclinatus et prostratus
Fit illorum pedibus;

Minax mortis idem fortis
Ad mactandum et vorandum
Fuit missus, sed abyssus
Illis nulla nocuit.
Danielem qui fidelem
Securavit et tutavit
In leonum lacu, bonum
Deus hunc praedocuit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Eustachius poplitibus
Flexis cum complicibus
Videns bovem aeneum
Inflammatum igneum
Dixit: qui es Dominus
Eminus et comminus,
Respice in omnes gentes
Passionem meam colentes.
Ignem, aquam, bestias,
Exsilium, molestias,
Paupertatem, vim bellorum,
Ad usum hospitiorum
Omne malum his averte;
Detur illis, Iesu, per te
Salus, virtus et solamen.
Angelus respondit Amen.
Corpus, vestes cum capillis
Rogus non ussit in illis;
Mortui, sed non combusti
Deo vivunt modo iusti.
Dante Deo nos sequemur.
Ut cum iustis gloriemur.

Brev. ms. Pataviense anni 1525. Cod. Lincen. *Fo* 24. A. — Brev. ms. Plagense anni 1499. Cod. Plagen. s. n. B. — Brev. ms. Pataviense (?) saec. 15. Clm. Monacen. 23275. C. — Brev. Pataviense imp. Venetiis 1505. D. — Brev. Kimense imp. Venetiis 1516. E. — In 1. Vesp. Super Ps. **AA** fehlen A. Invit. 1 Omnes una consurgamus AD. — In 1. Noct. **A** 3, 4 noctis vix A. — **R** 2, 5 Dare diffidentibus D. — In 2. Noct. **A** 3, 3 Quem Caesaris A. — **R** 1, 3 suo domino AB. — In 3. Noct. **A** 2, 2 Tempore quodam ABCDE. — **A** 3, 1 Teopista clam hoc dum AB, audivit A. — **R** 1, 5 Nescit coniugem talem. — **R** 2, 1 O Rome vive A. — **R** 3, 2 talia fehlt A. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 21 sequamur A. — Ibid. 22 Et cum AE. — Hymnen ad Noct.: Aeterna Dei munera, ad Laudes: O mira dispensatio (Anal. IV, 138).

3. De sancto Eustachio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sion, plaude, mater alma
Triumphantis super palma
Eustachii beati,
Quem coniunx et duo nati
Gloriosa passione
Comitantur in agone;
Adest inde Roma testis,
Cedat horum prece pestis,
Quem reatus vitiorum
Et fraus infert malignorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Invitatur plebs fidelis
Ad sanctorum gaudia,
Iubilantes rex in caelis
Collocet cum gloria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Altitonantis regia
Suscepit cum laetitia
Beatos, qui consiliis
Non consenserunt impiis.

2. Bonitatis non immemor
Christus in caelis habitans
His sibi servientibus
Dedit sui notitiam.

3. Cultu sub idolatriae
Iam vanitati subditos
Mirificavit Dominus
In eis mira faciens.

Responsoria.

1. In diebus Traiani Caesaris
Erat Romae miles praenobilis
Placidus nomine,
Sub cultu idolatriae
Opus agens misericordiae.

V. *Populus, quem non cognovi servivit mihi, dicit Dominus, in auditu auris oboedivit mihi.*

2. Illustris Eustachius
Imitatus Cornelium,
Priusquam Christum nosceret,
Servire illi studuit.

V. *Ego diligam eum, dicit Dominus, et manifestabo illi me ipsum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dator misericordiae
Scuto texit iustitiae
Beatum Eustachium
Dando coronae praemium.

2. Elevatur eximia
Dei misericordia
Ex angelorum laudibus
Pro conversis peccantibus.

3. Fraudis commenta respuens
Insignis Eustachius
In Dei tabernaculo
Cum suis manet iugiter.

Responsoria.

1. Vir Dei Eustachius
Amissis rebus omnibus
Uxorem amisit et filios.
Uxorem tulit barbarus,
A feris nati capti sunt.

V. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Genus electum, cuius est
Ipse Deus hereditas,
Per potionem calicis
Hereditatem reparat.

2. Haec pia generatio,
Quia quaesivit Dominum,
Eius videre faciem
Miro modo promeruit.

3. Intellectu prudentiae
Ditavit auctor gloriae
Sanctos ad plenum instruens
Et ab adversis eruens.

Responsoria.

1. Redeunte magistro militum
Exsultat aula regia,
Urbs et senatus curia
Nec non omnis regio.

V. *Annuntiaverunt caeli iustitiam illius, et benedixerunt omnes populi gloriam eius.*

2. Iam acceptis honoribus
Et dignitate pristina
Barbarorum provinciam
Debellandam aggreditur,
Ubi natos cum coniuge
Divino nutu reperit.

V. *Qui percussit gentes multas et occidit reges fortes.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mira Dei pietas
virtutibus atque decore
Multiplici sanctos
induit atque fide.

2. Laudibus ac iubilo
Deus est venerandus ubique,
Qui portas vitae
pandit et astra suis.

3. Mentes sanctorum
lustrans Deus hic benedicat
Illuminetque pius
nos et ubique Deus.

4. Nunc bene cum sanctis
chorus hic Domino benedixit,
Luxuriae flammas
insuperare coepit.

5. Regna superna Deum
collaudant et venerantur,
Quem quoque cum sanctis
cuncta creata canunt.

Brev. ms. Gebennense saec. 15. Cod. Parisin. 1318. A. — Brev. S. Petri Gebennen. imp. Gebennen. 1556. B. — In 1. Vesp. ad Magn. A, 4 Qui coniunxit et A. — Invit. 3 Iubilante A. — Alle im vorstehenden fehlenden Teile sind prosaisch abgefafst.

4. De sancto Eustachio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O laudanda bonitas
Nostri redemptoris,
O miranda novitas,
Veri signum amoris,
Quod vocavit Placidum
Sibi complacendum,
Dans opus sibi validum
Fortiter agendum.

2. Lumen adhuc nesciens
Lumine processit,
Egenis largus largiens
Futurum iam expressit.

3. Militis strenuitas
In se non obfecit,
Per quam Christi caritas
Fideliter perfecit.

4. Venando cervum capitur
Hic Domino venante,
Hunc dum vox alloquitur
Cruce coruscante:

5. Cur me fugas, Placide?
Ego, quem ignoras,
Sum Christus, cui splendide
Res tuas dividebas.

R. Ivit venatum
Placidus sibi prendere gratum,
Conspicit elatum
cervum cruce significatum,
Cornibus innixum
simul aspexit crucifixum;

V. Insequitur cervum,
nullum socians sibi servum.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum
Et laudemus eum ob gloriosam
Martyrum victoriam,
In quorum gaudet numero
Eustachius cum suo collegio,
Qui pro nobis in caelis
Oret degentibus in terris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite, rite vigilemus,
Deum nostrum et laudemus
Eustachii memoria
Sollemnique victoria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir cum coniuge
Placidus elegit
Viam veram, quam sobrie
Riteque peregit.

2. Quare frement pericula?
Quia Christi miles
Vitae suscepit piacula
Cultus spernendo viles.

3. Cum invocaret Dominum,
Ipsum sic adfatur:
Te fore decet alterum
Iob, hoc adtestatur.

Responsoria.

1. O felix promissio
Omnipotentis Dei,

Te decet haec tentatio
Roburque spondens ei,
V. Morbus primum asseclas,
Dein animalia
Interfecit omnia.

2. Auferuntur omnia
De domo per praedones,
Plena sic penuria
Ditantur tirones,
V. Hi plene sic liberi
Pergunt extra patriam
Christi sequentes latriam.

3. Navigantes pariter
Naulum postulatur,
Aufertur flebiliter
Uxor, vir tristatur;
V. Sumens tandem filios
Maritus exsulatur,
Cor diu eius turbatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verba mea personent
Tanti viri stuporem,
Dum mira dira renovent
Ipsius sic dolorem.

2. Domine, Dominus noster,
Quam admiranda facis,
Cum tuus sic minister
Privatur suis caris.

3. Domine, quis habitabit
In tuo tabernaculo?
Quem tua sic probavit
Virtus tanto miraculo.

Responsoria.

1. In ripa natum posuit
Unum transportandum,
Quem mox lupus rapuit,
Ipsum ad invandum
V. Dum redit, leo vorax
Alterum in praedam
Tulit currens ad silvam.

2. O miranda probatio
Istius agonistae,
Natorum dum perditio
Amborum fit, o Christe,
V. Tua clemens potentia
Ipsum sublevavit,
Ne se tunc necavit.

3. Dum sic iret eiulans
Omnibus nudatus,
Deus natos congregans,
Nam lupus inclamatus
V. Et leo linquit liberos
Astantes per pastores
Simul et aratores.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Conserva, Deus, humilem
Hanc dispositionem,
Ut facias laudabilem
Tandem congressionem.

2. Domini est terra,
Qui servat suos famulos
Vivos sine guerra
Inter binos tirunculos.

3. O beati, quorum
Vita sic probatur,
Ut custos hic agrorum
Cordis agro servatur.

Responsoria.

1. Rex memor sui Placidi
Hostibus gravatus
Mittit suos, ut validi
Quaerant, ut perscrutatus
V. Placidus adducatur
Proelia pugnandum,
Honoribus ditandum.

2. Duo de suis Placidum
In rure reppererunt,
Cicatricis per surculum
Tandem cognoverunt;
V. O felix huius humilitas,
Dum suis famulatur,
Christum imitatur.

3. O beata reductio
Eustachii, ad honores

Romanorum consilio
Rediit ad priores;
Milites sic congregat
Hostes ad vincendum,
Regna terrae peragrat
Rebelles ad domandum.

V. Peractis sic laboribus
In vico quiescebat
Cum suis militibus,
Uxor ubi manebat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus regnavit,
Dum pie congregavit
Uxorem et virum,
Ostendens per hoc mirum.

2. Iubilate Deo,
Uxor fatur cum eo:
Ubi sunt nostri nati?
A bestiis, ait, devorati.

3. Deus, Deus meus,
Quam dulcis amor tuus,
A bestiis ablati
Nam sunt nostri nati.

4. Haec ait: benedicant
Facta Dei et dicant,
Quod Christus nos probavit
Et natos demonstravit.

5. Laudate Dominum de caelis
Corde, factis et melis,
Nam pater, mater, nati
Sunt tandem congregati.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui suos coronavit
Martyrio, sed comminus
Sibi sociavit,
Huius mundi miseria
Prorsus liberati
Gaudent caelesti curia
Beatis adunati;
Pro nobis orent iugiter,
Ut ipsos contingamus,
Viventes hic feliciter
Caelum ascendamus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Adest dies victoriae,
Quo adit regem gloriae
Eustachius et suus comitatus,
Per bovem aeneum probatus,
Qui pro nobis intercedat,
Ne nos draco Stygis laedat,
Sed post hoc exsilium
Contemplemur Dei filium.

Brev. ms. Voraviense saec. 15. Cod. Voravien. 268. A. — Brev. ms. Secoviense saec. 15. Cod. Graecen. 471. B. — In 1. Vesp. Ad Magn. **A**, 5 suo cum B. — Ad Complet. **A** Rupem cervus dum conscendit etc. entlehnt. — In 2. Noct. **R** 3, 5 leo inquit A. — In 3. Noct. **A** 3, 1 O fehlt A; lies: O beati servi quorum? — **R** 2, 2 Mire reppererunt A. — **R** 2, 4 Quem cicatricis AB. — In Laud. **A** 4, 2 benedicant A. — **A** 4, 3 Quo AB. — **A** 5, 2 facto A. — Die **A** ad Magn. in 2. Vesp. steht in beiden Quellen ad Primam; ad Tertiam **A** Eustachius cum paribus etc., welches die **A** ad Benedictus aus dem Passauer Officium ist; ad Sextam **A** O consurgamus etc., das Invitatorium desselben Officiums; ad Nonam **A** Ex gentili largitate etc., die 5. **A** in 1. Vesp. ebenda. In 2. Vesp. 5 **AA** super Ps. Natorum absentia etc. cum reliquis aus den Laudes desselben Officiums. In 2. Vesp. ad Magn. **A** Eustachius poplitibus, ebendaher entlehnt. Alle diese Entlehnungen lassen glauben, dafs die **A** ad Primam die eigentliche **A** dieses Offic. zum Magnificat der 2. Vesper ist. — Hymnen: Hymnen ad Vesp. et Noct.: O mira dispensatio (Anal. IV, 138); ad Laudes: Romam redit Eustachius (Ibid. 137).

5. De sancto Evodio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Evodium genuit
felix Aquitania partu.
2. Arvernis genitus
micuit quasi lucifer ortus.
3. Consule qui natus
fit de grege pastor amatus.
4. Scutarius Romae
servavit dogmata normae.
5. Hic dono denarium
complet numerum sociorum.

Ad Magnificat.

A. Adest dies veneranda
devotis fidelibus.
In qua praesul ac confessor,
beatus Evodius,
Ac senator urbis Romae,
nobilis Scutarius,
Per insigne meritorum
iuncti sunt caelestibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus
principem omnium,
Qui beatum
fecit Evodium
Eiusque vitae
parem Scutarium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vos Vallaeusis
doctores populus
Suscipit fultus
divinis virtutibus.
2. Ad seminandum
culturam Dei
Semper crevere
in lege Domini.
3. Non aruerunt
eorum dogmata,
Sed Christi seges
complevit horrea.

Responsoria.

1. Post decessum confessoris
beati Georgii,
Vallaeusis episcopi,
plebs commissa praesulis
Evodii
Pastorali curae parem
sanctitatis habuit,
V. Ut de fonte salvatoris
mereretur refici,
Per pascua virentia
super terram provehi.
2. Sublimatus ergo sancti
praesulatus cathedra
Exorante muliere,
quam leprae sanaverat
Morbo mater Iesu Christi.
[virgo] sacratissima,
Ad Anicium transferre
suam sedem praeparat,
V. Ibi enim sanitati
reddita est misera
Per Mariam salvatricem
sub noctis vigilia.
3. Tunc congregata
plebe fidelium,
Cum ipsa montem
petit Anicium,
Ubi factum
erat miraculum,
Ibi divinum
esset oraculum
V. Ad venerandam
virginem beatam
Et transferendam
praesulis cathedram

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exorta luce
scandunt fastigia,
Ubi fundata
est ecclesia,
Et, ecce, vident
Dei magnalia.

2. Nix enim candens
caelo descenderat
Summumque montis
locum perfuderat,
Quo fundamentum
ponendum fuerat.

3. Exsultat praesul,
exsultat populus,
Et sicut candor
ministrat niveus,
Insignis Deo
domus construitur.

Responsoria.

1. Pontificem venerandum,
Beatum Evodium,
Qui Dei gratiam promeruit
Et cogitatum suum
In eo humiliter iacuit,
V. Deum coluit
Et proximum suum dilexit
Corde perfecto.

2. Ad honorem genetricis
Regis cuncta disponentis
Votum suum complevit,
Quod diu desideravit,
Beatus Evodius,
V. Oratorium namque fundavit
Vallanensium capitali.

3. Pastor, pie pastor,
Servulorum preces
Exaudi benigne,
Quosque cernis pressos
Peccatorum mole,
Confessorum tuorum
Placatus erige prece;
V. Expurgatos omni sorde
Tu nos mundos [iis] coniunge.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Evodius
Atque Scutarius,
Ambo viri religiosi,
Sibi invicem observantes
Et in lege Domini ambulantes
Mandata eius custodiebant.

2. Scutarium,
Apostolica auctoritate
Evodio coniunctum.
Parem consueverunt notare
Plebs Vallanensium
Per caritatis
Benignitatem.

3. Quasi fratres atque germani
Famulantes Deo patri,
Tota intentione
Iugum Domini portantes,
Mundi contemnentes lubrica
Et terrenis
Praeferebant caelestia.

Responsoria.

1. Almiflua confessores
Dispositione
Deo mente proximi
Romam tendentes.
Obcurrunt senioribus
Profectis circa passus mille
Ab Anicio monte,
Qui se legatos
A papa dicunt Evodio
Candentes vestibus.
V. O venerandi pastores,
Quibus obviant caelici cives,
Reliquias cum scriptis reddentes.

2. Amicus Dei Evodius
Atque Scutarius

Ex decreto seniorum
Praecedentum
Revertentes Anicium
Cum reliquiis susceptis
Et cum omni devotione
Humiliter subsequentes
Fores templi obseratas
reperiunt
Dei misericordiam
reclamantes.
V. Igitur patefactis
Ultro foribus
Ingrediuntur
Modulatis vocibus
In laudes Dei.

3. Sancte Evodi, flagitamus,
Impetra nobis tuis precibus,
Ut ipsius
Consortio valeamus,
Regni cuius
Tu particeps es effectus.
V. Ora pro nobis ad Deum,
Beatissime Evodi,
Qui te dignatus
Est virga pontificali.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. O pater pietatis,
Rex immense caelestis,
O potentia divina,
Potens virtus angelica,
Beatus Evodius
Et beatus Scutarius,
Fide quorum et meritis
Ecclesia Vallanensis
Ab honore omnium
Resultet fidelium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O rex sanctorum,
lux sancta, vita bonorum,
Dux pie, qui iustos
deducis tramite rectos,
Diligis, exornas,
vitam praestando [decoras]
Evodii votis
[sanctis] eiusque consortis
Nos in sanctorum
numero [tu] pone tuorum.

Brev. ms. Aniciense saec. 15. Cod. Capit. Anicien. s. n. — In 1. Vesp. **A** 4, 2 dogmata notare. — **A** 5, 2 numerum servorum. — **R** prosaisch. — Ad Magn. **A**, 7 insignem. — Invit., 3 Qui sanctum. — In 1. Noct. **R** 1. 6 curiae. — **R** 1, 9 effici. — **R** 1, 10 virentis. — **R** 1, 11 semper terra. — **R** 2, 6 santissima. — **R** 2, 11 salvatorem. — **R** 2, 12 Super noctis. — In 2. Noct. **A** 1, 4 lies fuit? — **R** 2, 1 genetrix. — **R** 2, 2 deponentis. — **R** 3, 2 precor. — **R** 3, 4 Quorumque servis premii. — **R** 3, 9 nos mundo coniunge. — In 3. Noct. **A** 2, 4 Pompam consueverunt. — **R** 1, 6 Profecti. — **R** 1, 7 Ad. — **R** 1, 13 redeuntes. — **R** 2, 9 observantes. — **R** 2, 16 Modulantis. — **R** 3, 10 pontifici. — Ad Laudes **AA** prosaisch. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 5 exornans. — Ibid. 8 consortium. — Die zugehörigen Hymnen vgl. Anal. XI, 126 sq.

6. De ss. Felice et Adaucto.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O fortunata unio,
Vere sacrata passio,
O martyrum condicio
Iuste laurearis
Super caelesti solio,
Iam quorum de collegio
Totalis pacis visio
Gaudet in praeclaris,
Quos nostra laudat contio,
Ut horum patrocinio
Iungamur contubernio
Perpetis solaris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Genus David et radicem
Adoremus Dominum,
Qui Adauctum et Felicem
Regnum in diutinum
Ad summum vexit stabile
In lumen admirabile.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Per orbitam tyrannide
Barbariei rabidae
Ingruente saeva
Ob Augustorum monita
Sanctorum in deposita
Fidei primaeva,
Felix sacerdos capitur,
Libare tus praecipitur
Serapis in aede;
Insufflans is in idola,
Quae ruunt ut malivola
Spiritali caede.

V. Libere praecelsus egit
Rex Deus ultionum
Et in humile redegit
Sublime regionum.

2. Adductus hinc ad statuam
Mercurii dolifluam
Compari vi fecit
Et statuam Dianicam
Virtutem per deificam
Tertio deiecit;
Membratim in eculeo
Nam tortus, sed aethereo
Solatio potitur,
Poenarum nec fastigio
Terretur nec supplicio
Nec minis demolitur.

V. Leges regum aspernata,
Caesarum decreta,
Mens in Christo solidata,
Caritate freta
Blandis nec mulceri
Poterat nec teri.

3. Iubet Caesar, ut moechetur
Arbore blasphema,
Is sed Christum confitetur
Flagrans ad suprema,
Fusa prece subsannavit
At arboris profana,
Quam radicitus prostravit
Fides diaphana;
Flavit auster et munivit
Hunc, qui forma pari
Templum funditus contrivit
Profanum cum altari.

V. In externis ab externo
Penitus abstractus,
Emergenti de superno
Iubilo compactus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Fana cernens iudex spreta
Deorum multiformia
Et favillitus deleta
Vocarique daemonia,
Cordis furit per secreta
Repletus idolatria.

2. Pro deorum ultione
Iussit aemulus mucrone
Sanctum decollari,
Canibus et lupis feris
Gestis pullulans sinceris
Corpus praesentari.

3. In medium prosiliens
Vir quidam hoc perspiciens
Christi fidem gestans,
Corde confitens et ore
Sese Christianum fore,
Idola detestans.

4. Claritate venustantes
Luminis divini,
Sanctitatis osculantes
Osculo se bini,
Decollantur triumphantes
Vitae iam vicini.

5. Huius nomen ignoratur,
Sed a fidis testibus

Hinc Adauctus appellatur,
Qui Felicis passibus
Auctus ultro copulatur
Iunctus in caelestibus.

Ad Benedictus

A. Insignitus circumfultus
Venustate Dei vultus
Uterque in aethereo,
Quorum pios per singultus
Homo terreus sepultus
Fidelium a cuneo,
Quos effodere tumultus
Paganorum dum insultus
Conantur ab areo,
Hoste sunt erepti
Inferos adepti.

In 2. Vesperis.

Responsorium.

R. O felix quam felicitas,
Intermina fruitio.
O perpes generositas,
Quam huius vitae spatio
Feliciter peracto
Felici in empyreo
Perenniter amplecteris
Fuso cruore roseo
Qua caelitus perfrueris,
O Felix, cum Adaucto.
V. Quam generosa civitas
Cunctorum ut laetantium
Lucis in te aeternitas,
Virtutum urbs caelestium.

Brev. S. Servatii Traiecten. imp. Coloniae 1503. — Die übrigen Teile prosaisch. — In 2. Vesp. ad Magn. A wie in 1. Vesp. — Den zugehörigen Hymnus cfr. Anal. XII, 117.

7. De sancto Feliciano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Nulli sit vanum
venerari Felicianum,
Pontificem sanctum,
postponat ob hoc homo planctum,
Cantibus et psalmis
sollemniter ut vacet almis.

Super Magnificat.

A. O quibus in caelis
meritis hic verna fidelis
Christi laetatur,
merito cui congratulatur
Orbis plebs tota
sibi persolvens pia vota,
Omni nam dignus
est laude vir iste benignus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Psallentes rite
Domino iubilare, venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Impia decreta
contemnens Felicianus
Adnuit athleta
Domini fore cotidianus.
2. Christo servire
non absque timore studebat.
A semitis ire
iustis quem nemo videbat.
3. Nulla verborum
percerritus asperitate
Vicit iniquorum
vim stridentem bonitate.

Responsoria.

1. Gignens fulgorem
fulginea sive decorem
Dicitur haec facta
res est vereque peracta.
V. Hunc nam produxit,
fidei lux unde reluxit.

2. Felix Romanus
bene fertur Felicianus,
Non Romae natus,
sed ibidem fonte renatus,
V. Vel quia, dum studuit,
huic ibi pausa fuit.

3. Inter discentes
tunc Romae proficientes
Christi cultura
fuit ipsi maxima cura,
V. Est ad maiores
ideo promotus honores.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Frivola sectantes
in amore Dei solidavit
Et desperantes
ad spem vitae revocavit.

2. Pervigil astabat
Domino simulacra negando,
Semper et orabat
sacris dictis inhiando.

3. Iste Deo gratus
omni laudetur ab ore,
Namque coronatus
caelesti gaudet honore.

Responsoria.

1. Mutans ergo statum
sortitur presbyteratum,
Hinc factus praeses,
ad singula lubrica deses,
V. In cunctis vitam
duxit virtute politam.

2 Fulgineam gentem
prorsus simulacra colentem
Inde relustravit,
quam divo dogmate pavit,
V. Atque fidem Christi
persuasit plenius isti.

3. Ipsius mota
verbis Italia tota
Iam collaetatur
Christumque Deum venera-
tur,
V. Hacque fide fulta
gens adplaudit sibi multa.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christo confidens
tormenta minus metuebat.
Nullum collidens
patienter quaeque ferebat.

2. Nullos oppressit,
nullis fuit iste sinister,
Sed, quidquid gessit,
veri fuit immo minister.

3. Divinum vultum,
quem tota mente cupivit.
Pro nunc ob cultum
fidei laetanter adivit.

Responsoria.

1. Christi differre
verbum diis et sacra ferre
Dum comminatur,
Decio magis improperatur,
V. His insultando
verbumque Dei replicando.

2. Mox tormentatur,
suspenditur et laceratur,
Sed, dum torquetur,
Christum plus quippe fatetur,
V. Sanguine sic tinctus
servatur carcere vinctus.

3. Plures dans luctus
populo de carcere ductus
Vitam finivit,
Romam dum vinctus adivit,
V. Factaque praedigna
sunt illic plurima signa.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes dicamus
gratesque Deo referamus
Caelo regnanti,
sanctis caelestia danti.

2. Nobis perfecit
Deus hunc, qui singula fecit,
Per quem tutemur,
ideo iubilare iubemur.

3. Decius, in vanum
collidens Felicianum,
Aevo damnatur,
sed iugiter iste beatur.

4. Hymnis cum divis
Dominum benedicere quivis
Praesenti festo
non adtardet fore praesto.

5. Gloria collata
sanctis, Domino quia grata,
Ergo cantemus
huic et nova carmina demus.

Ad Benedictus.

A. Mundi degentis
tenebras pia lux orientis
Tunc illustravit,
hic genti dum reseravit
Legem divinam,
serpens vetus unde ruinam
Sustinuit victus,
sit ob hoc Dominus benedictus.

In 2. Vesperis.

R. Minda, Deo plaude
melos et promere gaude,
Te quia ditavit
summe Deus atque beavit
Hunc per patronum,
tibi dans venerabile donum,
V. Quovis ab obstante
cuius merito meditante
Vere salvaris,
si sanctius hunc veneraris.

Ad Magnificat.

A. Spiritus exsultet
omnis cantusque resultet,
Magnificans Christum,
tumidis qui praetulit istum,
Arcem caelorum
sibi dans causa meritorum,
Atque tumescentes
proiecit ad ima potentes;
Sed petimus. Christe,
duc nos, ubi commanet iste.

Antiph. ms. Hamelense saec. 15. Cod. Hanoveran. I 101 a.

8. De sancta Felicitate.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Felix adest
matris memoria,
Cuius hoc ef-
fecit victoria.
Quod cum suis
septenis filiis
Mundi spretis
omnibus vitiis
Caeli sancta
conscendit atria;
Felicitas
nobis sis propitia.

R. Antonino
regente rem publicam
Invidiam
sunt passi hosticam
Hi, qui servabant
vitam caelicam,
V. Inter quos erat
Romae femina
Septem sacra
proferens semina.

Ad Magnificat.

A. Felicitas
permanens vidua,
Castitate
fulsit perspicua,

Oratione
vacans assidua
Christianis
forma sic praestrua,
Nam nobilitate
praecipua
His documenta
dat caeliflua.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Assunt Felicitatis
sollemnia,
Virgo mater,
iubilet ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pontifices videntes
hanc Christum amare
Mox coeperunt Caesari
illam accusare.

2. Sentiat hoc pietas,
imperator, vestra,
Quod a cultu numinum
nostrorum est sequestra.

3. Unde si non fuerit
deos haec precata,
Horum non [iustissima]
est ira placata.

Responsoria.

1. Caesar sedens,
in suo solio
Mandat urbis
praefecto Publio,
Illam compelli
sacrificio,
V. Deos suos
iratos odio
Mitigari
statim nefario.

2. Felicitas
astans tribunali
Cum caterva
sua filiali
Certamine
vicit triumphali.
V. Quia tormenta
iudicis mali
Ex virtute
spernit divinali.

3. Post haec ad fidem
matre filios
Armante iudex
suasus noxios,
Sed ut colant
deos fictitios,
V. Terrores matri
parat impios,
Ne confortet
taliter filios.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ianuarius primo
suasus a iudice
Christi protestabatur
fidem hic publice.

2. Qui virgis mox caeditur,
sed in fide Christi
Permanens immobilis
carcere clauditur.

3. Post hunc autem alius
Felix praesentatur,
Sed fidelis manens a
Christo non mutatur.

Responsoria.

1. In summa
praesidis duritia
Summa fit sanctis
tunc constantia,
Nam terni
Philippi praesentia
Christi confor-
tata gratia,
Facta numina
dixit vilia.

V. Et hos, qui diis
dant libamen,
Summi iudicis
proferre gravamen.

2. Mundi bona
praefectus ambiens
Silvano quarto
erat blandiens,
Ut a cultura
Dei rediens
Diis suis
fiat deserviens;
V. Ipse vero
cuncta despiciens
Pro Christo mortem
erat sitiens.

3. Non cessante
praefecti errore
Alexandrum
temptat, ut amore
Aetatis primo
fulgentior flore
Deos huius
colat cum honore;
V. Ille autem
nequaquam labilis
In fide Christi
permansit stabilis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctissimi martyres
ut mons Sion stantes,
Blandimentis iudicis
erant rebellantes.

2. Namque sextus Vitalis
praesidi oblatus
Non minis, non blanditiis
Christo est ablatus.

3. Omnes deos gentium
daemones testatur,
Christum esse dominum
omnium profatur.

Responsoria.

1. Tandem Martialis adducitur,
Praeses hunc subvertere nititur,
Ille autem
nequaquam vincitur;
V. Iussis regis
parere allicit
Hunc praefectus,
sed hoc non proficit.

2. Iudex sanctis
probatis omnibus,
Sed sibi non
oboedientibus,
Adit Caesarem
cum suggestionibus,
V. Illi exponens
de martyribus,
Quod non cessent
a Christi legibus.

3. Imperator
audiens Publium
Tyrannos, qui
sanctum collegium
Mortis perducant in exitium,
Misit per varium supplicium,
V. Qui mox regem
sequentes impium
Sanctos perducunt ad martyrium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Septem vite palmites
in una creverunt,
Quos suborti frutices
statim exstinxerunt.

2. Primus enim plumbaceis
fuit interemptus,
Secundus cum tertio
fuste est peremptus.

3. Quartus autem ab alto
in imum deiectus,
Caelo reddens spiritum
sic est interemptus.

4. Ultimi tres gladio
capite truncantur
Et ad caeli gloriam
pariter vocantur.

5. Horum, Christe, sanguine
sanctorum placatus
Nostros, pie Domine,
dilue reatus.

Ad Benedictus.

A. Felicitas,
tormentis pluribus
Comprobata
ut aurum ignibus,
Decollatur
a servis trucibus
Et succedit
suis pignoribus.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Septem nati martyres
cum matre effecti
In caelorum gaudia
simul sunt invecti.

Ad Tertiam.

A. Vos, o sancti martyres,
precibus precamur,
Ut ad caelos transferri
per vos mereamur.

Ad Sextam.

A. Mortem sancti corporis
duram receperunt,
Vitam autem animae
per hanc invenerunt.

Ad Nonam.

A. Fraglat virtus martyrum
theca iam collisa,
Mater natos sequitur
post illos occisa,
Plaudit hoc cum filiis
morte iam decisa,
Ab illorum gaudio
cum sit indivisa.

Ad Magnificat.

A. Salve, sancta
laudanda contio,
Salve, pia
plebis exsultatio,
Vitae norma,
virtutis sanctio,
Salve, tu ca-
ritatis unio,
Tuo nos ad-
iunge collegio.

Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixinen. s. n. — In 1. Noct. ℟ 2, 5 certamen. — In 2. Noct. ℟ 3, 3 fulgentius. — Hymnen Ad Vesp. et Noct.: Gaude, mater ecclesia (Anal. IV, 138); ad Laud.: Mater natorum vulnera, Divisio des vorigen (Ibid. 139).

9. De sancta Fide.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ad honorem atque laudem
sempiterni numinis
Celebremus diem festum
sanctae Fidis virginis,
Quae per ignem, per tormenta
calicemque sanguinis
Est adepta triumphantis
bravium certaminis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus collaudantes
Christum, Dei filium,
Cuius fide virgo Fides
huius vitae stadium
Percurrendo comprehendit
immortale bravium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo Fides, generosis
edita parentibus,
Generosis plus effulsit
actu, verbo, moribus.

2. Haec instructa documentis
fidei catholicae
Custodivit vias duras
legis evangelicae.

3. Non est eius cor elatum
titulis natalium,
Nec adtrivit decor formae
castitatis lilium.

4. Quippe vultu speciosa,
corpore iuvencula
Mente sprevit, actu fugit
nuptiarum vincula.

5. Vultus eius et incessus
nuntiabant deforis,
Quis affectus possideret
officinas pectoris.

6. Sic in ea coruscante
bono pudicitiae
Adridebant ei simul
et virtutes aliae.

Responsoria.

1. Ex rubente rosa simul
et candente lilio
Virgo Fides coronata
vivit ex martyrio
V. Inter choros angelorum
geminato praemio.

2. Virgo stirpe supergressa
primos Agennensium
Sanctitate cumulavit
gloriam natalium,
V. Pacta secum custodire
semitas fidelium.

3. His enitens ad supremum
culmen sanctimoniae
Holocaustum fecit Deo,
votum continentiae,
V. Rata crimen attrectari
florem pudicitiae.

4. Dacianus introgressus
urbem Agennensium
Christi servos et ancillas
trahit ad supplicium
V. Immolare contemnentes
eius ad imperium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pectus Fidis hortus Christi
vernat morum floribus
Et ad flatum lenis austri
fluit aromatibus.

2. Hoc in votis eius erat,
hoc in desiderio,
Ut perennem compararet
gloriam martyrio.

3. Aestimabat enim Christo
gratam parum virginem,
Nisi virgo propter Christum
funderetque sanguinem.

4. Audit Deus et exaudit
vota sanctae feminae,
Clarificaturus eam
proximo certamine.

5. Intrat urbem Dacianus,
furit atrox bestia,
Spondet necem Christianis,
intonat supplicia.

6. Accersita primum Fides
ad tyrannum ducitur,

Immolare vel feriri
gladio praecipitur.

Responsoria.

1 Ecce, Fides evocata
clamat ante iudicem:
Christum colo, Christum testor
omnium artificem,
V. Ut arcanum mei cordis
tibi, iudex, indicem.

2. Nihil mihi cum Diana,
nihil cum Apolline,
Quos vel appellari deos
longe sit ab homine,
V. Dii vestri manufacti,
dii solo nomine.

3. Sponsa Christi contemnente
minas, preces, munera,
Tortor parat universa
tormentorum genera,
V. Iussus poenas innovare,
perscrutari viscera.

4. Ex praecepto Daciani
carnifex congreditur,
Cratem profert, subtus carbo,
super virgo ponitur,
V. Nihil ille praetermittens
ex his, quae praecipitur.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Tortor furens fovet ignem,
flamma surgit altius,
Rupta cute vis ardoris
penetrat interius
V. Dum carbones et aes candens
vulnerant exterius.

2. Nuntiatur Daciano
virginis constantia,
Quam non flectunt, sed nec terrent
minae vel supplicia,
V. Iubet ergo, capitalis
puniat sententia.

3. Ducta Fides ad delubra
cum tribus iuvenibus,
Quia nolunt immolare,
feriuntur ensibus,
V. Uno corde, pari voce
spretis deum cultibus.

4. O coruscans in superno
lapis aedificio,
Virgo martyr, laureata
mixto rosae lilio,
Tua nobis apud Christum
assit intercessio,
V. Quo conscribi mereamur
in caeli palatio.

Vita ms. S. Fidis saec. 13. Cod. Slettstadien 95. — Aus dieser Quelle hat Mone III, 297 ff. das Stück mitgeteilt, ohne dasselbe als Officium zu erkennen. Da mir auf ein bezügliches Gesuch erwidert wurde, die Handschrift könne nach dem Reglement der Stadt-Bibliothek nicht nach auswärts versandt werden, so vermag ich nicht zu konstatieren, ob Mones Text den der Quelle erschöpft, oder ob er die auf das 12. Responsorium folgenden AA ad Laudes proprio Marte fortgelassen, sei es, dafs sie prosaisch, sei es, dafs sie den bis hier gesponnenen historischen Faden verlassen. Unserem Texte fehlen zu absoluter Vollständigkeit in 3. Noct. eine A ad Cantica, fünf AA ad Laudes und je eine ad Bened. und Magn. in 2. Vesp. Dagegen hat Mone noch die A Ave gemma claritatis ad instar carbunculi etc., die überzählig und eine Entlehnung aus dem Officium der hl. Katharina ist. — In 1. Vesp. ad Magn. A, 3 sq. darüber ad libitum: recolamus ore corde laudes etc. — In 1. Noct. A 1, 3 plus fehlt. — In 2. Noct. A 6, 1 primum, wenn Mone richtig gelesen; daraus ist aber nicht pronum, sondern zweifellos primum zu machen. — R 2, 6 dei solo.

10. De sancto Florentio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Inclitus est praesul
omni venerandus in aevo,
Cuius vita fuit
sine turpi florida naevo,
Quem Christus summo
caeli veneratur honore,
Hunc nos in terris
vero veneremur amore
2. In patris exsultet
festis Alsatia tota,
Pro cuius meritis
rutilant miracula nota.
3. Vir, flos Scotorum,
Florentius Hascla venit,
Devotae gentis
ubi mentes dogmate lenit.
4. Mansio siderea
datur his et glorificantur,
Rore sui verbi
sacri quicunque rigantur.
5. Tempore quo validus
Dagobertus regna regebat.
Inter silvestres
vepres eremita manebat,
Hic interdicto
pecudes arcebat agello
Quattuor adfixis
virgis in rure novello.
R. Exigui ruris
varia dum parte stetere
Bis binae virgae,
non culta ferae tetigere,
Ieiunae fuerant
longaque fame gemuere,
V. Iussis parebant
sanctique metas tenebant.

Ad Magnificat.

A. Venantur famuli
regis per devia lustra,
Quaerentes praedam
sibi per loca plurima frustra,
Agmina non perent
canibus condensa ferarum,
Non arcu tingit
tellurem sanguis earum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In quo praelustris
confessor floruit iste,
Suppliciter petimus
da nobis gaudia, Christe.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Obiciunt famulo
Christi famuli Dagoberti
Artis opus magicae,
de facto non bene certi.
2. Dum venatores
Christi laesere clientem,
Non sensere Deum
pro sancto mira gerentem.
3. Terra paludosa
caelesti vi spatiosa
Servos vexavit,
facinus vindicta piavit.

Responsoria.

1. Turba fatigata
veniae sibi dona reposcit,
A Christi servo,
sceleris dum devia noscit,
V. Exaudit flentes
clemens peccata fatentes.
2. Ad regem versi
narrant inventi stupentem,
Et quod de sancto
pandunt, audire volentem,
V. Devotum semper,
sanctos et iura colentem.
3. Pro Christi servo
rex mittit equum phaleratum,

Vir sanctus venit
regis linquens equitatum,
V. Assumens asinum
vulgari modo paratum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nondum sanctus homo
regalia tecta tenebat,
Regia nata viri
meritis iam sana vigebat.
2. Virgo fuit caeca,
fuit haec ab origine muta.
Vadit inoffensa,
quo gliscit, corpore tuta.
3. Praedicat adventum
sancti sua lingua soluta.
Ore prophetali
praesagia vera locuta.

Responsoria.

1. Hospitis adventum
veneratur curia tota,
Virgo Deum laudat
oculorum nube remota,
V. Magnificant Christi
famulum regalia vota.
2. A radio solis
chlamys, o res mira, pependit,
Palmas, ut chlamydem
caperet, dum nemo tetendit,
V. De sancto testis
fuit aere pendula vestis.
3. Intrans per rimam
fit pertica lux radiosa,
Qua sustentatur
vestis quamvis onerosa,
V. Curia miratur,
dum res tam mira patratur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Defectum servi
subplevit gratia solis,
Non vicit tenues
atomos oppressio molis.
2. Rerum natura
stupet ob caelestia iura,
Quae fert iustitiae
sol, proles clara Mariae.
3. Vir salvatoris
matri praebebat honoris,
Quidquid oportebat,
qui sacrum pneuma gereba

Responsoria.

1. Cartae perpetuae
sub confirmante libello
Rex concessit ei,
quantum transiret asello,
V. Balnea dum sumeret
et ab his vestitus abiret.
2. Tempore duplato
non iret equus stimulatus,
Quantum transivit
brunelli pes agitatus,
V. Donec rex sumpsit
chirothecas amne rigatus.
3. Argentinensis
praesul Florentius actus
Floruit et dictis
et factis, quem stupefactus
Cleras dilexit
et plebs miracula cernens,
V. Grex pastoris iter
servavit devia spernens.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Patris post obitum
fiunt miracula multa,
Sunt translata Dei
nutu sua membra sepulta.
2. In capsa praesul
iacet hic, ubi manserat ante,
Patris praesentis
suffragia plebe probante.
3. Huc puer adlatus
quasi mortuus est revocatus

In vitam validus
et pastor magnificatus.

4. Sancti reliquiis
prolatis messe adulta
Surgit et imbre dato
redit anni copia multa.

5. Prostravit segetes
autumni vis pluvialis.
Terruit agricolas
maestos violentia talis,
Sancti reliquiis
productis aura serena
Redditur, et votis
respondent horrea plena.

Ad Benedictus.

A. Theca ferebatur,
hostilis pugna quievit,
Quam patris meritis
data caelo pax abolevit;
Ecclesiam theca
prolata tuetur ab igne,
Protegit et thecam
caelestis gratia digne.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ad pacem stabilem
castigas militis acris
Grassantes famulos
meritis, pater inclite, sacris;
Convaluit supplex
herus, periere clientes,
Poena docet regi
regum parere potentes.

Brev. ms. Argentinense saec. 15. Cod. Carolsruhan. Unb. Herk. 13. A. — Brev. Argentinense imp. Maguntiae 1478. B. — Brev. Argentinense imp. s. l. 1489. C. — Brev. Argentinense imp. s. l. 1510. D. — In 2. Noct. **A** 1, 2 tenebat tecta B. — **A** 1, 3 Regia fehlt B. — Zu diesem Officium gehört der Hymnus: Exsultet vallis Hasela (Mone III, 301).

IIa. De sancto Floriano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Incliti militis tui,
Christe, nos Floriani
Precatibus a peccatis
Emunda
Et beata meritorum
Nos fruge pietatis
Tuae largo rore fecunda
Et tandem perduc ad atria
Caelorum iucunda.

Ad Magnificat.

A. O florem Eden purpureum,
Beatissimum Florianum,
Qui saeculi militiam
In vitae commutans innocentiam
Ad martyrii agonem
Per fidei properat confessionem;
Pro Christo laetus occubuit
Regnumque supernum obtinuit,
Cuius meritis in caelis
Commendemur et in terris

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Florem, quo floret
Florianus, mundus adoret,
Ipsi laude pia
iubilando frequens Alleluia.

In 1. Nocturno.

Antiphona.

In Floriano latuit
Sub militari chlamyde
Christi tiro, qui patuit,
Dum pugnam petit avide.

Responsoria.

1. Cordis ac vocis organo
Pangamus laudes Floriano,
Qui te in suo sanguine
Glorificavit, Domine.
V. Ipsius meritis
nobis, Deus, annue mitis.

2. Cum tyranni deservirent
Et Christi servos punirent
Hic vir adivit inclitus
Urbem Lauriacum imperterritus.
V. Nam praeses Aquilinus fidem
Veram fassos mactavit ibidem.

3. Sub ea tempestate,
Quae Diocletiani feritate
Navim ecclesiae exagitabat,
Beatus Florianus
In habitu militari Christianus
Exemplum se constantiae
Fidelibus praestabat,
Dum ad martyrii
Coronam festinabat.
V. Inundatione facta
Illisum est flumen illi
Et non potuit eum movere.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

Ingerebat ultroneus
Se pugnae vir idoneus
Nec hostem Christi tremuit,
Qui Lauriaci fremuit.

Responsoria.

1. Martyr venerandus
Dum se commilitonibus
Christi fatetur supplicem
Mox ducitur ad (saevum) iudicem,
V. Sed nec blandimentis
Separari a recta fide
Quivit neque tormentis.

2. Tortores sanctum verberant
Bis flagro crudeli
Et scapulas lacerant
Ungulis ferreis fideli,
V. Constans suppliciis vir Dei
Obposuit clipeos fidei.

3. Ad pontem igitur
Anesi fluminis
Iussu perducitur
Aquilini praesidis,
Unde facta oratione
praecipitatur,
Sed ab unda super
lapidem reclinatur,
Ubi ab aquila corpus eius
expansis alis servatur.
V. *Cum ceciderit iustus, non collidetur, quia Dominus subponet manum suam.*

In 3. Nocturno.

Antiphona.

Studiis dum crudelibus
Caeditur a tortoribus,
Gaudet sicut ad epulas
Ferro frangente scapulas.

Responsoria.

1. Vere fecundum palmitem,
Qui per Christum, veram vitem,
Se tulisse fructum multum
Revelavit, dum sepultum
Iumentum vectans lassatur
Et novo fonte potatur.
V. In Domino hoc factum claret,
Dum ad haec tempora
Manans nunquam aret.

2. Se quia Valeriae
monstrarat martyr humandum,
Conditur, hunc diem
virtutes dant venerandum,
V. Infirmi siquidem
varii curantur ibidem.

3. Beate martyr Floriane,
Dominum pro nobis deprecare.

Ut relaxet mala,
quae commisimus,
Ac donet bona,
quae speramus,
Sola pietate paterna,
Qua mortalibus
largitur aeterna.
V. Quid enim oremus,
sicut oportet, nescimus.
Sed ipse spiritus
postulet pro nobis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus in flumen dum iactatur,
Praecipitator excaecatur,
Artus in petra ponunt nobiles
Elationes fluctus mirabiles.

2. Iubilemus dulcisone
Tibi, Christe Iesu,
redemptor bone,
Cuius portas in confessione
Intravit martyr
cum exsultatione.

3. Alarum in velamento
Multo fatigata tormento,
Exsultans caro requiescit
Nec poenas ultro pavescit.

4. Benedicit Deo vivo
Terra, dum novi fontis rivo
Fovet animalia
Sanctum ducentia.

5. Exsultemus in rege,
Qui pietatis lege
Optatam dat
salutem populo
Adpropinquanti
martyris sui tumulo.

Ad Benedictus.

A. Dum aeternae diei
aurora illuxerit,
Dum tuba
novissima sonuerit,
Praeclare martyr Floriane,
Nos digneris adiuvare,
Ut gratia
solis iustitiae
Sanctorum perfruamur
splendore.

Per Horas.

Ad Primam.

A Sanctus Florianus,
Egregius martyr Christi,
Data super se
sententia mortis
Gaudens et exsultans
ibat ad mortem,
Quia ad vitam credidit
pervenire aeternam.

Ad Tertiam.

A. Sanctus vir Florianus,
Martyr Domini,
Qui pro amore Christi
Sanguinem suum fudit,
Beatus miles Christi
Gaudet in caelestibus.

Ad Sextam.

A. Aquila venit
iussu divino,
Quae protexit corpus
sancti Floriani,
Non venit ad devorandum.
Sed venit ad conservandum.

Ad Nonam.

A. Floriane, Dei miles,
Mundi vincens aciem,
Pelle machinas hostiles,
Culpae solve glaciem
Et per actus nos heriles
Duc ad Christi faciem

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ad vesperam vitae mortalis,
Quae lucescit
in requiem sanctis
Ad finem cursus
stadii praesentis,
Dum bravium accipit
Dei miserentis,
Beatus Florianus
nobis tarde currentibus
Tamen fide,
spe tendentibus,
Ad regnum perveniamus
sempiternum,
Succurrat nunc et in aeternum.

Brev. ms. S. Floriani XI 490. saec. 15. A. — Brev. ms. S. Floriani XI 478. saec. 15. B. — Brev. ms. S. Floriani XI 429. saec. 15. C. — Hymnen in Vesp.: Gratuletur ecclesia (Morel 229); ad Noct.: Laete colant Christiani (Mone III, 302); ad Laud.: Saepe martyr verberatus, Divisio des vorigen (Mone l. c.).

11 b. De sancto Floriano.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Palma digne triumphali,
Veni, martyr, lauream
Flore rosa saginatam
Et candore dealbatam
Primam stolam accipe,
Advocatum te caelorum
Incessanter angelorum
Concentus magnificat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum iucundemur,
Floriano gratulemur;
Te beatum dicimus,
Tibi laeti canimus.

In 1. Nocturno.

Antiphona.

Hic vana terrae gaudia
Et luculenta praedia,
Patrem linquens cum patria
Norica petit limina.

Responsoria.

1. Funditur insontium
Sanguis a profanis,
Aquilini rabie,
Praesidis immanis,
Caedes et exitium
Instat Christianis.
V. Saevit ripensis Norica,
Enses intentat, vincula
Vera fide sanis.

2. Optans fore socius
Gloria victorum,
Se iungit intrepide
Turbae impiorum:
Vestro me adducite
Regi iniquorum.
V. Deo meo servio,
Nulla miles timeo
Flagra tormentorum.

3. Mox ut vinctum tradidit
Miles Aquilino:
Praeses, inquit animo
Plus quam heroino,
Scito, palam numini
Servio divino;
V. Iovem tuum abnego,
Tura diis respuo,
Deo vivo trino.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

Ubi sensit Florianum
Obfirmari Christianum,
Sprevit plenus furia,
Mandat flagris cruciari
Dire carnem lacerari
Crudeli sententia.

Responsoria.

1. Cum staret immobilis
tentus blandimentis,
Castigantur verbere
artus innocentis,
Repetitis scapula
languent in tormentis;
V. Sed incassum omnia,
Nec vicere verbera
Fidem confitentis.

2. Dira tandem sententia
praeses imperavit
Imo mergi flumine,
non tamen expavit,
Velut ad tripudium
gaudens properavit;
V. Sed ira Dei propere
Capto tortorum lumine
Ex alto vindicavit.

3. Tam sacra membra tangere
illisum tumet flumen
Et prominentis petrae
mox tollit in cacumen,
Qua tutelari aquila
caeleste servat numen;
V. In somnis mira monita,
Ut tollat haec, Valeria
Divinum ante lumen.

In 3. Nocturno.

Antiphona.

Dum ad locum passionis
Ducit eum dux agonis,
Florem suae iuventutis
Parvipendet spe salutis.

Responsoria.

1. Quadriga corpus celeri
vectatur ad humandum,
Anhelo vivus pecori
fons scatet ad potandum,
Fons multiformis gratiae,
subsidium mirandum,
V. Unde signorum claritas
Gentes traxit barbaras
Ad undam venerandum.

2. Si quaeris miracula,
fideles et profani
Petunt et accipiunt
et spe non inani,
Omnes una pariter
ope fiunt sani;
V. Tabes, lepra fugiunt,
Narrent hi, qui sentiunt,
Dicant oppidani.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus per martyrium
Supra petram Domini
Positus perstabit,
Quem maris elatio,
Fluctus seu vox fluminum
Ultra non turbabit.

2. Laetus tuo iubilat
In conspectu, Domine,
Quod iam introivit
Portas tuas et atria,
Vectes cum laetitia
Ferreos contrivit.

3. Totus in te sitiens,
In tormentis gestiens
Ad te vigilavi,
Inter os loquentium
Iniqua et negantium
Deum te laudavi.

4. Caeli, terrae, fluminum
Benedicant Dominum
Cunctae creaturae,

Qui tot signis martyrum
Fidem auget hominum
Salutis profuturae.
5. Cantate novum canticum,
Exsurge, tuba et organum,
Magnifica virtutem,
Quam sancti sui tumulo
Adpropinquanti populo
Dat Deus in salutem.

Ad Benedictus.

A. Gaude, ripensis Norica,
In te visitavit
Plebem suam Dominus,
Te prae multis finibus
Fecundam ornavit,
Signis tot irriguam
Terram adaquavit;
Et tu, magne martyr Dei,
Tota salus nostrae spei,
Te vocantes aspice,
Tuo precum interventu
Angelorum nos concentu
Congaudere effice.

Cod. S. Floriani XI 441. anni 1649. — Dies Officium, das noch heute in Gebrauch, wurde von David Furmann, nachmals Probst von St. Florian, zum Teile mit altem Material zusammengesetzt, ein Zeichen, welcher Beliebtheit sich die Reimofficien selbst in so später Zeit noch erfreuten, als die grofse Menge derselben bereits im Staub der Archive zur Ruhe bestattet war. Hymnen: In 1. Vesp.: Salve, martyr gloriose, zum Teil die alte Sequenz (Anal. IX, 157); ad Noct.: Agonista triumphalis; ad Laudes: Gaude, cohors triumphalis.

12. De Stigmatibus s. Francisci.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Franciscus, vir Seraphicus,
Contemplator hierarchicus,
Dum Christum speculatur,
Seraph sub mira specie
Crucifixi effigie
In carne consignatur.
2. Coepit Christi militiam
Mundique spernit gloriam
Caelitus illustratus,
Dum crucis arma sumere
Perfecto studet opere
Divinitus vocatus.
3. Hunc sanctum Christus patulo
Trino crucis oraculo
Vocat ad reparanda
Crucifixi vestigia,
Cuius portat insignia
In corpore miranda.
4. Franciscus dum salvificum
Dei signum vivificum
Portat in carne mirum,
Hostis fugat potentiam
Et draconis saevitiam
Virus fundentem dirum.
5. Hic creatoris opera
Monstrat in carne, vulnera
Dum gestat redemptoris,
Novoque fit miraculo
De crucis Iesu titulo
Decenti salvatoris.

Ad Magnificat.

A. Caelorum candor splenduit,
Novum sidus emicuit,
Sacer Franciscus claruit,
Cui Seraph apparuit
Signans cum charactere
In volis, plantis, latere,
Dum formam crucis gerere
Vult corde, ore, opere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi, qui fecit opera,
Christo confiteantur,

Cuius in sancto vulnera
Francisco renovantur

In 1. Nocturno

Antiphonae.

1. Hic vir edoctus caelitus,
Indutus armis lucis,
Mundum relinquens penitus
Sumpsit vexillum crucis.

2. Excelsi iussum sequitur
Hic Christum crucifixum,
Cui mente configitur
Cruci cor gerens fixum.

3. Mansuescit, dum in melius
Vitam iusti mutavit
Mente trineque monitus
Dei templum fundavit.

Responsoria.

1. Franciscus ut militiae
Ad decus evocatur,
Sumens arma iustitiae
Signo crucis armatur.
Cuius forti potentiae
Virtute proeliatur;
V. Princeps in Christi acie
Armis in crucis specie
A Christo decoratur.

2. Dum puro mentis oculo
Divina contemplatur.
Fixum crucis patibulo
Hic Christum speculatur.
Cuius amoris iaculo
In corde vulneratur;
V. Ut crucem corde sedulo
Tollat relicto saeculo,
Caelitus informatur.

3. Dum in crucis mysterio
Ferventer meditari
Coepit, crucis eloquio
Meruit informari,
Ut domum Dei studio
Reformet exemplari;
V. Quam suae mortis pretio
Christo sacro commercio
Redemit singulari.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pertractum crucis studio
Transfixum demonstravit
Christus hunc crucis gladio.
Hostem per quem prostravit.

2. Iam Christum liber sequitur
Cunctis exoneratus,
Cuius veste contegitur
Signo crucis armatus.

3. Ductus ad crucis studia
Hic semper meditatur
Christi passi vestigia,
Frequenter ut sequatur.

Responsoria.

1. Docet cum efficacia
Verbum crucis per opera,
Quae verbis adtestatur.
Virtute firmans praemia
Pro Christo ferens aspera
In cruce gloriatur,
V. Crucifixi memoria
Transfixa portans viscera
Mirifice monstratur.

2. Fulgentis luce aurea
Crucis virtute caelitus
Ex ore procedentis
Francisci vis tartarea
Fugatur et exercitus
Draconis saevientis,
V. Lux effulsit aetherea
Ceditque draco territus
Crucis signo splendentis.

3. De crucis sacro titulo
Dulcis Iesu eloquio
Dulci dum praedicatur,
Novo clarens miraculo
Distans fratrum collegio
Hic mire praesentatur,

V. Tensus ut in patibulo
Crucis Iesu supplicio
Passi configurantur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cor verbis evangelicae
Confirmat lectionis
Proponens, ut dominicae
Sit consors passionis.

2. Pacem, salutem praedicat
Sigillum dans salutis
Et crucis viam indicat
Praebens normam virtutis.

3. Ut novis Christi semitis
Viam vitae monstravit,
Signo crucis et meritis
Hostem nostrum prostravit.

Responsoria.

1. Dum orans cernit aethera
Christum videns in aera
More Seraph insolito,
Hic manus, pedes opera,
Latus portat et viscera
Dei transfixi digito;
V. Iesu Christe, per vulnera
Francisci nostra scelera
Nobis laxans nos libera
Aeternae mortis debito.

2. De monte Dei mystico
Perfecto legis tempore
Mundi perlustrans climata
Descendens fert mirifico
Seraph impressa opere
Iesu in carne stigmata;
V. Igne ardens prophetico,
Signo clarens deifico
Divino prodit munere
Mira Dei charismata.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus Franciscus praeviis
Crucis clarus mysteriis
Dum Christi gloriatur,
In cruce novo munere
Miro virtutis opere
Christo configuratur.

2. Hic praedicando monuit
Christumque passum docuit,
Quem solum se sitire
Et voce clamat sitiens
Crucisque fructum cupiens
Conatur reperire.

3. Tres ordines hic statuit,
Crucis dum iussis claruit
Petri sequens exemplum,
Sic tria tabernacula
Sub trina fundans regula
Reparat Deo templum.

4. Datus doctrinae spiritus,
Virtute doctus caelitus,
Docet crucis virtutem,
Crucis signo mirifico
Viget actu salvifico
Cunctisque dat salutem.

5. Laudans laudare cupiens,
Vivens etiam moriens
Christi virtutem crucis,
Dum cancellatis brachiis
Sic benedicens filiis
Tendit ad regnum lucis.

Ad Benedictus.

A. O martyr desiderio,
Francisce, quanto studio
Compatiens hunc sequeris,
Quem passum libro reperis,
Quem aperto scivisti,
Tu contuens in aere
Seraph in cruce positum
Extunc in palmis, latere
Et pedibus effigiem
Ferens plagarum Christi;
Tu gregi tuo provide,
Qui post felicem transitum
Clare prius ac vivide
Glorificatae speciem
Carnis praetendisti.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O magnum signiferum
Novo regis charactere
Volis, plantis, latere
Christi consignatum,
O vexillum vulnerum
Iesu ferentem corpore,
Miro Seraph opere
Signis decoratum,
O verum luciferum,
Fulgentem mundi vespere
Splendentem in aethere
Sole perlustratum,
O Francisce, pauperum
Pater, iam regnans prospere
Nos exaudi propere
Regnum dans optatum.

Sanct. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. S. Isidori Matriten. III 1. 89. A. — Brev. ms. FF. Minorum de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. B. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 101. C. — In 1. Vesp. **A** 1, 3 speculatur Christum C. — **A** 1, 6 In carne configuratur C. — **A** 2, 2 Sprevitque mundi B. — **A** 2. 5 Profectus A. — **A** 3, 1 Christus sanctum patulo BC, sanctum Christus patibulo A. — **A** 3. 2 crucis patibulo oraculo C. — **A** 3, 6 in opere C. — **A** 4, 2 fehlt A. — **A** 5, 3 Divini gestat A. — **A** 5, 6 Docenti A. — Ad Magn. **A**, 2 sqq. fehlen C. — In 1. Noct. **A** 2, 1 Ex caeli visum sequitur A. — **A** 3, 1 Mansuescit dum penitus BC. — **A** 3, 2 In melius mutavit BC. — **A** 3, 3 Mentem trineque A; Mentem trinoque B; Menteque trino monitu C. — **R** 1, 1 ad militiae A. — **R** 1, 7 in fehlt C. — **R** 2, 3 patibulum C. — **R** 3, 1 Cum A. — **R** 3, 2 Fervetur C. — **R** 3, 4 Meretur C. — **R** 3, 7 Quem Christus suae C. — **R** 3, 8 Sub sacrato C. — In 2. Noct. **A** 1, 4 per quem monstravit A, quem superavit C. — **R** 1, 4 Virtutem firmans praevia A. — **R** 1, 7 Christi passi crucifixi C. — **R** 2, 3 praecedentis A. — **R** 2, 4 viis A. — **R** 2, 8 Seditque A. — **R** 3, 3 clarus C. — In 3. Noct. **A** 2, 2 Signum dans C, Sigillum donans A. — **A** 3, 3 crucis et virtutis C. — **R** 1, 2 Christum Deus in A. — **R** 1, 7 Iesu per tua vulnera A. — **R** 1, 10 A trinae mortis A. — **R** 1 lautet in B:

R. Crucis signo frontes gementium
Flentes vocans ad vitae praemium
Signat docens corda fidelium
Christi passi sequi vestigium;
V. Dei vivi portans signum
Tau signavit vita dignum.

R 2. 4 mirifica C, defert mystica A. — R 2, 6 Iesu carne signata C. — In Laud. **A** 1, 5 virtutis compere C. — **A** 2, 3 Quem fehlt C. — **A** 2, 5 fractum A. — **A** 3, 5 fundens AC. — **A** 4, 1 doctrice A. — **A** 4, 6 Eventisque dat A. — Von der **A** ad Bened. haben CB nur die erste Zeile. — In 2. Vesp. setzen alle drei Quellen die 5 **AA** des folgenden Officiums ein. — Ad Magn. **A**, 13 Dare prius ac livide A. — Statt dieser **A** Crucis apparet hostia etc. AC. — Hymnen: In 1. Vesp.: Crucis Christi mons Alverne (Anal. IV, 140); ad Noct.: In caelesti collegio (Anal. XI, 131); ad Laudes: Proles patris praeconia (Anal. XI, 131); In 2. Vesp.: Crucis arma fulgentia (Mone III, 303).

13. De Stigmatibus s. Francisci.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Crucis vox hunc adloquitur
Ter dicens: tu te praepara,
Vade, Francisce, repara
Domum meam, quae labitur.

2. Crucis verbum proponitur
Fratribus per Antonium,

Et Franciscus ad ostium
In crucis modum cernitur.

3. Crucis arbor eximia
Per os Francisci surgere
Apparens cogit fugere
Draconem et daemonia.

4. Crucis signum, Tau litera
Fronte Francisci scribitur,
Qua varia distinguitur
Miranda lucis opera.

5. Crucis magnum mysterium
Super Francisco claruit,
Dum signatus apparuit
Cruce duorum ensium.

Ad Magnificat.

A. Caelorum candor splenduit,
Novum sidus emicuit,
Sacer Franciscus claruit,
Cui Seraph apparuit,
Signans eum charactere
In volis, plantis, latere,
Dum formam crucis gerere
Vult corde, ore, opere.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Crucis apparet hostia
Tensis in cruce brachiis,
Sex alis tecta variis
Cum vultus elegantia,
Qua Francisci cor attrahit
Augens ei charismata
Suaque sacra stigmata
In eius carne protrahit.

Alia Antiphona.

Plaude, turba paupercula,
Ad patrem clama pauperem;
Hoc lugubre suspirium,
Pater Francisce, suscipe
Et prode Christo stigmata
Lateris, pedum, manuum,
Ut nobis reddat orphanis
Tanti patris vicarium.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Claustroneoburgen. 1164. A. — Brev. ms. Franciscanum anni 1464. Cod. Admonten. 581. B. — Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. C. — Ad Noct. et. Laudes alles wie am Hauptfeste (cfr. Anal. V, 175). Hymnen Crucis Christi mons Alverne (Anal. IV, 140) und Crucis arma fulgentia (Mone III, 303).

14. De sancto Gabriele.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Iucundemur in adventu
Gabrielis caelici,
Quibus assint in concentu
Spiritus angelici.

2. Rex caelorum ordinavit
Hunc ex mille milibus
Angelorum, quem legavit
A supernis sedibus.

3. Huic commissum dat arcana
Reserandi pectoris,
Quae proferret voce plana
Sui memor operis.

4. Iam descendit ad humana
Nova ferens gaudia,
Mira profert sed non vana
Disserens eloquia.

5. Intrat clausum vultu claro
Virginale thalamum,
Ave dicit verbo caro
Super omne balsamum.

Ad Magnificat.

A. O fortitudo Gabriel,
Qui praenuntias venturum
Quando te vidit Daniel,
Doctus fuit, ut futurum

Sanctorum sanctus Israel
Praedicaret finiturum
Unctionem, qua Samuel
Saul unxit periturum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem adoremus
Gabrielemque laudemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beati semper spiritus
In voluntate Dei
Virentes manent penitus
Fructificantes ei.

2. Iam dirumpamus vincula
Malignae potestatis
Ut simus sine macula
Antiquae pravitatis.

3. Tu cetera sub homine
Qui subdens posuisti,
Angelos huic, Domine,
Praestare voluisti.

Responsorium.

1. Iam Gabriel demittitur
A summo caeli throno,
Paterna vox exprimitur
In orbis nostri sono,
Dum virgini committitur,
Quod dulci canit tono.
V. Tunc nova nobis oritur
Lux, tenebraque moritur
Concesso caeli dono.

2. In Nazareth Olympius
Descendit ille nuntius,
Cui nomen Gabriel,
Alatus, fulgens, glorius,
Intravit domum ocius
Nuntians Emanuel.
V. Hic exstat Dei filius,
Messias, Nazarizius,
Ut dixit Nathanael.

3. Angelus in conclave
Subintrans dixit: Ave,
Maria benedicta,
Tibi, quaeso, ne sit grave,
Incredula ne sis, cave
Audiens mea dicta;
V. Ergo dictis, virgo, fave,
Ut demantur tracta prave
Vetera delicta.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, cui Gabriel
In caelo semper astat,
Videre fac Emanuel.
Qui nobis bona praestat.

2. Sermones nobis cogniti
Iam fiunt angelorum,
Sono quorum adtoniti
Stant orbes populorum.

3. Virtutum hic est dominus,
Rex gloriae caelorum,
In proelio fortissimus
Et princeps angelorum.

Responsoria.

1. Archangelus mysterium
Dum pandit altum, dubium
Cor mutat virginale:
Dic, Gabriel, auspicium,
Quo gignat virgo filium
Contra ius humanale?
V. Nusquam viri commercium
Admisi, quare gaudium
Non venit unquam tale.

2. Tu, Gabriel, ad virginem
Ut auferas formidinem
Adcedens sic dixisti:
Tu gratiae dulcedinem,
Quae salvat omnem hominem,
A Deo repperisti,
V. Ante te scio neminem,
Quin passus sit acredinem
Irae, quam reppulisti.

3. Spiritus sancti gratia
In te sine fallacia
Descendit cum virtute,
Nulla sit pertinacia,
Crede cum efficacia,
Angelus dixit tute.
V. Divina sapientia
Immensaque potentia
Haec fient pro salute.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Notus Deus in Israel
Nobis sit manifestus,
Hunc nuntiavit Gabriel,
Cui fiat dies festus.
2. Quem angeli cum gaudio
Adorant mirabundi,
Hunc natum in praesepio
Proclamant laetabundi.
3. Ministri Dei spiritus,
Iuvate nos sereni,
Ut simus tandem caelitus
Amoris igne pleni.

Responsoria.

1. Audi, virgo, mysterium,
Concipies nunc filium,
Iesum quem appellabis,
Magnus hic erit, solium
Tenebit et imperium
Patris David, notabis,
V. Aeternum hoc dominium,
Regnorum finem omnium
Indubie probabis.
2. Turbatam in consilio
Mariam pro eloquio
Legatus consolatur
Veraci testimonio,
De Elisabeth prodigio
Affirmans protestatur:
V. Ut illa praegnans filio
Non de viri consortio,
Maria, fies, fatur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Decorem Deus induit,
Dum homo factus patuit
In medio terrarum,
Tunc Gabriel insonuit
Et virgini aperuit
Profunda scripturarum.
2. Introite cum gaudio
In domus Dei atrio
Gabrielis honore
Et mentis cum tripudio
Servite Dei filio
Timentes cum amore.
3. In terra dudum invia
Ardente Dei gratia,
Apparuit sic Deus,
Sit Gabrieli gloria,
Quem vidimus in patria,
Ubi est homo reus.
4. Benedicite, lumina
Et angelorum agmina,
Cunctorum creatorem,
Huic psallamus carmina,
Qui nova tulit famina
Proclamans salvatorem.

Ad Benedictus.

A. Te laudamus congruenter,
Qui das nobis excellenter
Laudis thema placidum,
Ave canens apparenter,
Intrans domum sapienter,
Corpus ferens lucidum,
Dum Mariam reverenter
Salutando gratulanter
Verbum profers roridum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ad nos veni, praeco pie,
Gabriel, Dei caelorum,
Ave dulce dic Mariae
Tecum ducens caeli chorum

Nosque serves in hac die
Ab insultu peccatorum
Ambulemus ut in die
Per profectum meritorum.

Brev. Romanum imp. Parisiis 1531. — In 2. Noct. ℟ 2, 7 te fehlt. — In 3. Noct. ℟ 2, 3 consulatur. — Hymnen zu diesem Officium: Veneremur Gabrielem vespertino tempore (ad Vesp. et Noct.), Gaudeamus gratulantes (ad Laudes); Anal. XXIII. Nr. 298 und 299.

15. De sancto Gabriele.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adest tempus vespertinum,
Qua Gabriel salutavit
Virginem, verbum divinum
Ferens eam illustravit.

2. Alta salus dum virginem
Turbat, ille ipsam docet:
Dei patris imaginem
Sanctum pneuma in te locet.

3. Praecursorem de sterili
Nasciturum nuntiasti,
Salvatorem de humili
Incarnandum designasti.

4. Mens virginis dum inclinat
Se ad verba Gabrielis,
Verbum patris tunc reclinat
In uterum se de caelis.

5. Videt virgo dignissima
Se effectam Dei matrem,
Plaudit, laudat sanctissima
Maiestatis summae patrem.

Ad Magnificat.

A. Salve, Christi
praeco dignissime,
Preces offer
matri piissimae,
Ad hoc noster
aspirat animus,
Ut deleat
mala, quae fecimus,
Et det bona,
quae semper cupimus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

It Gabriel ad virginem
Novam salutem proferens,
Dei patris imaginem
Virgo capit et fit parens.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Trinitatis consilio
Venit praeco ad virginem,
Dei freta auxilio
Eius capit imaginem.

2. Tunc Gabriel indicavit
Domini Iesu conceptum,
Cum virgini praedicavit
Aeterni regis praeceptum.

3. Sancte Deus mirabilis,
Diminute ab angelis,
Veni, desiderabilis
Deus et homo humilis.

Responsoria.

1. Pacis causa
venit reformandae,
Solvat Christus
pretium emendae,
Non sit terror
irae contremendae,
Sed firma spes
veniae habendae.

V. Tu baiule
summae clementiae,
Summae laudis
et excellentiae,
Sta pro nobis
in caelis hodie.

2. Misit servum
pater pro filio
Non humano
fretus auxilio,
Hic divino
magis consilio
Sponsam duxit
in hoc exsilio.
V. Paranymphus
supplex salutavit,
In virginem
sanctum pneuma flavit
Et in matrem
Dei consecravit.

3. Felix nimis,
o Gabriel, hora,
In qua virgo
dulcis et decora
Deum verum
cepit sine mora
Altissima
tua propter ora.
V. Illud Ave
quando protulisti,
Dona magna
mundo adtulisti,
Cum omne vae
a nobis tulisti.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In caeli tabernaculo
Tu qui sedes magnifice.
In ventris habitaculo
Virginis magna perfice.

2. Qui a caelo egreditur
Gabriele proclamante,
In virgine concluditur
Persubito hunc amante.

3. Rex gloriae disposuit
Clausam portam subintrare,
Hinc exiens nos docuit
Caeli portam penetrare.

Responsoria.

1. Tu reginae
summi regiminis,
Quae concepit
instinctu numinis,
Vale dicis
cum coetu ordinis,
Matrem laudans
Dei et hominis.
V. Nunc igitur,
Gabriel, propera,
Narra Dei
miranda opera,
Quae facta sunt
in hac Christifera.

2. Hic baiulus
summae caritatis
Opus egit
summae pietatis,
Quem Dominus
summae maiestatis
Praelegit
huiusmodi fatis.
V. Fortitudo
Dei, quae latuit,
Per hunc fortem
miranter patuit,
Ad fortia
cum manum posuit.

3. Nova luce
nunc per Gabrielem
Illustravit
populum fidelem
Altissimus
conferens medelam
Hominibus
et fidam tutelam.
V. Gaudent omnes
et gaudent singuli
Pro adventu
pio et humili
Nostri Iesu,
infantis parvuli.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praeco eam perterruit
In sermone permodicum.
Modum carnis abhorruit
Virgo tenens hunc caelicum.
2. Venit ad nos mirabilis,
Locum pacis praeelegit,
Praeest praeco amabilis,
Valde miranda peregit.
3. Angelis et hominibus
Lux orta cum laetitia.
Est salus patens omnibus,
Discedat hinc maestitia.

Responsoria.

1. De amicis
Dei praecipuis
Est Gabriel
et de perpetuis,
Mysteria
nota facit suis
Et ardua
committit arduis.
V. Hunc homines
habent advocatum
Ante Deum
fidum et paratum,
Apud eum
votum sit locatum.
2. Volat fortis
per medium caelum,
Qui pepulit
durissimum telum,
Ne laederet
opponendo velum,
Ipsum fortem
locavit in prelum.
V. Hic Gabriel
vicit fortissimum,
Dum venire
fecit mitissimum
Natum Dei
ventrem sanctissimum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus fortitudinem
Induit et se praecinxit,
Gratiae amplitudinem
In Maria ipse pinxit.
2. Novus creatur populus
Deum laudans in iubilo,
Ad Mariam dum baiulus
Venit monens dulci stilo.
3. Deus noster benedixit
Hanc terram ante desertam,
Cum Gabriel Ave dixit,
Portam caeli dat apertam.
4. Laudemus nunc Christiferam
Actus eius imitando,
Nam salutis dat operam
Ad gratiam invitando.
5. Coetus omnes angelorum
Et Gabriel psallunt ei:
Imperatrix es caelorum
Et regina, mater Dei.

Ad Benedictus.

A. Preces tuae
nobis subveniant,
O Gabriel,
atque custodiant
Nunc et semper,
ut hostes fugiant,
Et nos cives
tui suscipiant.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In hac vita
multa pericula
Nobis instant
et multa vincula,
O Gabriel,
tu mente sedula
Regnum caeli
pro nobis postula.

Antiph. ms. Franciscan. Hibernic. saec. 15. ex. Cod. Coll. SS. Trinitatis Dublin. B 1. 2. A. — Brev. Bisuntinum imp. Parisiis 1531. B. — In 1. Vesp. A 2, 2 Ille docet illam turbat B. — A 2, 4 locat B. — Ad Magn. A, 1 Christi fehlt A. — In 1. Noct. R 1, 9 Tuba iule B. — In 2. Noct. R 1, 9 Nunc ergo A. — R 2, 5 Quem fehlt A. — R 2, 7 sq. verstümmelt A. — In 3. Noct. hat B ein 3. prosaisches R.

16. De sancto Gabriele.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi, qui verbo virginem
Salutavit Gabrielis,
Cantus promat dulcedinem
Psallentium vox fidelis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vernans pudore lilium
Nubere recusavit,
Sed oraculum angelicum
Aliud indicavit.

2. Secretum legi consonum
Tunc Deus promulgavit,
Quando per suum angelum
Primum splendorem virginum
In matrem consecravit.

3. Conclusus est thalamus
Et contremuit locus,
Ubi archangelus Gabriel
Descendebat de caelo.

Responsoria.

1. Creaturis peccantibus
Universum multatur,
Hoc in sanctis agminibus
Secretum pertractatur,
Cum quo misit ad virginem
Rex caeli fortitudinem,
Ut mundus redimatur,
V. Summus apocrisarius,
Animus eius anxius
Pavescens meditatur.

2. Gabrielis oraculum
Ut virgo ponderavit,
Mox cordis habitaculum
Prudenter praeparavit,
Et totum virgo credidit,
Quod paranymphus edidit,
Nec quidquam dubitavit.
V. Concepit virgo regia
Ad credulitatem
Quae mundum illustravit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mittit ad virginem
Non quemvis angelum,
Sed fortitudinem,
Suum archangelum
Amator hominis.

2. Magnum expediat
Pro nobis nuntium,
Naturae faciat
Ut praeiudicium
In partu virginis.

3. Accede, nuntia,
Dic Ave comminus,
Dic: plena gratia,
Dic: tecum Dominus,
Et dic: ne timeas.

4. Virgo, suscipias
Dei depositum,
In quo perficias
Castum propositum
Et votum teneas.

5. Audit et suscipit
Puella nuntium,
Credit et concipit
Et parit filium.
Sed admirabilem.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Clm. Monacen. 26748. A. — Cod. S. Petri Salisburgen. a IV 42 saec. 15. B. — Die AA ad Laudes sind der Sequenz gl. A. (Kehrein 158) entlehnt. Alle hier fehlenden Teile des Officiums prosaisch. Hymnen: In 1. Vesp.: Gabrielem veneremur (Anal. XVI. 135); ad Noct.: In Gabrielis ordine (Anal. IV, 140); ad Laud.: In hierarchia caelica (Anal. IV, 141); In 2. Vesp.: Lux caelorum angelorum (Anal. IV, l. c.).

17. De sancto Gebehardo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Sancte Dei praesul,
memorum non immemor esto
In tam sollemni,
quod nunc agimus tibi, festo.
Ut tua sint nobis
semper suffragia praesto,
Securi nullo
nos impediente molesto.

Ad Magnificat.

A. Ave, praeclare
confessor Christi Gebehardc,
Ave, flos paradisi
pretiose,
Qui tuo suavi cuncta
respergis odore,
Nos emundatos ab omni
vitiorum squalore
Atque te gubernante
transvectos
Per hoc spatiosum mare
Tuo patrocinio
fac quandoque
Caelestem patriam
feliciter introire.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilantes Deo venite
Eumque supplices adorate,
Qui beati
Gebehardi animam
Introduxit
In requiem suam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Generosis ortus maioribus,
Sed fide Christi multo clari-
oribus
Beatus Gebehardus lucescit,
Ut gemma ex auro fulgescit.
2. Non consuete enixum
Sed vulva matris constat
hunc excisum,
Domino praemonstrante,
Quod ipsum scivit et ante.
3. Ad lucem prolatus
Et nutrici commendatus,
Ut Isaac patri de suo profectu
gaudium conferebat,
Quia Dominus eum
plus Salomone diligebat.
4. Hic spiritu renovatus
Et inter filios adoptatus,
Septenis columnis sustentatur,
Ut domus supernae
sapientiae efficiatur.
5. Infantiam domi transegit,
Ubi lacte teneri adolevit.
Quo sensim proficeret,
Ut solidum ecclesiae
cibum post perciperet.
6. Puerile attingens decus
Gebehardus, Dei electus,
Mundo confestim alienatur
Et literali disciplinae
mancipatur.

Responsoria.

1. Nobilissima stirpe progenitus
Sanctus praesul Gebehardus

Clarum sanguinem, quo fulgebat,
Probis moribus exornabat,
Ut virens palma florebat,
Et ut cedrus ramis
virtutum se protendebat,
V. *Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.*

2. Flore primae aetatis iam vernante,
Spiritu scientiae sibi inspirante,
Gebehardus illustris
cellaria regis introductus,
Mero divini verbi
ita est inebriatus,
Ut postea ructaret,
Unde late famem sedaret.
V. *Os iusti meditabitur sapientiam, et lingua eius loquetur iudicium.*

3. Optimae indolis adulescens,
Virtutibus in dies pollens
Laeva quaeque
devia linquebat
Et dextra itinera
toto nisu tendebat
V. *Propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam.*

4. Egregius vir Gebehardus,
Dilectus Deo et hominibus,
Amabilis pontificibus,
Venerandus principibus,
Effulsit decus mundi
Flos paradisi, gemma caeli.
V. Familiae Domini
prudens et fidelis
Dispensator praedestinatus
in caelis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In tabernaculo,
Quod fixit Deus et non homo,
Cum Samuele innocenter
ministrante Gebehardo,
Merito complacebat tam Deo quam sancto praesuli Cuonrado.

2. Hic velut alter manu fortis
Patrimonium extorsit
coheredibus suis,
Ut decorem exaltaret
tuae dulcedinis
Iuxta sui, Domine,
desiderium cordis.

3. Mirabile negotium,
Placatum posse
habere Dominum
Oblata sibi parvissima
Gleba, cuius est omnis terra.

4. In Domino laudabuntur
opera huius,
Qui seminavit
in benedictionibus,
Cui nihil defuit,
Cum sua omnia
pauperibus erogavit.

5. Hic stare fecit cantores
contra altare
Et in sono eorum
dulces fecit modos,
Quia te, Domine, decet
hymnus in Sion.

6. Iustus iste venit
saliens inter montes,
Transiliens colles,
Soli iustitiae
assistens pulcher et decorus
Et ut palma
cunctis virtutibus floridus.

Responsoria.

1. Verus Israelita Gebehardus,
Parentum hereditate
locupletatus,
Terrenas opes pro supernis
refutavit,
Ut Deus per prophetam
demandavit.
V. Divitiae,
inquit, si affluant,
Nolite cor adponere.

2. Electus Christi discipulus
Gebehardus
Evangelica verba
mente revolvens
Et haec operibus complens
Ex omnibus, quae possedit,
Aegypto liberatis
mansionem effecit,
V. *Quia dilexit mandata tua, Domine, super aurum et topazion.*

3. Beatissimus Gebehardus
Ex hominibus assumptus
Constituitur,
Ut sacerdotio fungatur,
Quia non est inventus
Similis illi,
Qui conservaret
Legem excelsi.
V. *Iuravit Dominus et non paenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum.*

4. Divinitus eximius
vir electus,
Ad sacerdotii
culmen provectus,
Omnia omnibus
Factus est protinus,
Dum, quod verbis praedicabat,
Operibus praemonstrabat.
V. *Et pavit eos in innocentia cordis sui et in virtutibus manuum suarum deduxit eos.*

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Beatus Gebehardus
inventus est sine macula,
Quia non speravit
in pecunia,
Ideo in Domino stabilita
sunt ipsius bona
Et eleemosynas illius
enarrabit omnis ecclesia.

Responsoria.

1. Sanctus antistes Gebehardus,
Christi amore provocatus,
Et hic et in caelestibus
Sanctam construxit aedem,
Quia Christum
sibi fecit heredem.
V. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in saeculum saeculi.*

2. Iam vinitor egregius,
Beatus pontifex Gebehardus,
Palmites verae
vitis expurgaverat,
Iam vinea Domini
fructum plurimum attulerat,
Et, ecce. pulsanti
Domino libens obcurrebat,
Quia excubias suas
bene observaverat.
V. *Ecce, inquit Dominus, sto ad ostium et pulso.*

3. Post sedecim
regiminis sui annos,
Meritis felicibus plenos,
Liberatur civis
iste Hierosolymita
Captivitate de Babylonica
Redditurque
patriae supernae,
Ubi celebret
pascha perenne.
V. *In pace factus est locus eius et habitatio eius in Sion.*

4. O praecelsi meriti
Gebeharde, sacerdos Christi,
Qui mandata Dei secutus
Tua omnia dedisti pauperibus,
Adesto nobis famulis tuis,
Vitiorum pondere praegravatis,
Ut tuis patrociniis adiuti
Aeterno cum Christo convivio
Quandoque mereamur perfrui,
V. Qui iam triumphas in caelis,
Nostris miseratus aerumnis
Appare vultui Dei pro nobis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ecce, sacerdos magnus,
Beatus scilicet Gebehardus,
Qui in vita sua
subfulsit domum
Et in diebus suis
corroboravit pietatem.

2. Sanctus praesul Gebehardus
Dedit in celebritatibus decus
Et ornavit tempora usque
ad consummationem vitae,
Christus purgavit
peccata ipsius
Et exaltavit
in aeternum cornu eius.

3. In fide et lenitate ipsius
Sanctum et excelsum
fecit eum Deus,
Et induit eum Dominus
corona gloriae.

4. Benedictio Domini
super caput iusti huius,
Ideo dedit illi partem
in tribubus duodecim,
Et invenit gratiam
in conspectu omnis carnis.

Ad Benedictus.

A. Cum vir sanctus tempus suum
feliciter transegit,
Carne solutus in caelis
alto orienti consedit,
Terris lucens
ut stella matutina,
Miseris auxilia
saepius ferens opima.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O divinae decus machinae,
Beate pater Gebeharde,
Qui terrena despexisti
Et caelestia acquisisti,
Tui nos memoriam venerantes,
Tibi devote supplicantes
Tuis meritis,
quaesumus, tuere,
Quo tecum valeamus
sine fine gaudere.

Cod. Heidelbergen. (ol. Petridomen.) IX 42 a. saec. 12. A. — Cod. Heidelbergen. (ol. Salemitan.) IX. 9 saec. 15. B. — In 1. Vesp. Super Ps. **A** fehlt A: dafür:

Clementissime pater Gebeharde,
Pro tuis supplicibus intercedere dignare,
Quo delictorum omnium veniam consequi
Et vitam aeternam mereamur adipisci.

Ad Matutinum. Das Invitatorium lautet in B:

In confessione laudis adoremus Dominum,
Qui stola gloriae confessorem suum
decoravit Gebehardum.

In 2. Noct. **A** 3, 1 Mirabile commericum B. — **R** 2 und 4 lauten in B:

3. Oliva fructifera in domo Dei,
Oleum laetitiae fovens beneficiis,
Coruscans miraculis,
Fac nos eius, qua frueris,
Lucis suavitatisque participes.
V. Introisti in potentias Domini
Et iam potentior ad impetrandum.

4. Beatus Gebehardus
Quasi vas auri solidum,
Ornatum omni lapide pretioso,
Fluenta gratiae propinavit in populo

Et accepit stolam gloriae
In consummatione virtutis.
V. *Factus est quasi ignis effulgens et quasi tus redolens in diebus aestatis.*

In 3. Noct. Ad Cant. **A**, 6 illius B. — **R** 1, 1 Beatus praesul Gebehardus B. — **R** 1, 2 Divino amore A. — **R** 2 Post sedecim sui regiminis etc. B. — **R** 3 lautet in B:

R. Accepit vir sanctus a Domino
Potestatem in praeceptis
Testimonia veritatis docere subditos
Et in lege Dei lucem dare populo,
V. *Addidit ei gloriam Dominus hereditatem pacis possidere in aeternum.*

In Laud. **A** 5 prosaisch, aus Heb. 7, 26 A. — Die ganzen Laudes sind andere in B, nämlich:

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domum tuam, Domine,
decet sanctitudo,
In qua tantae frequentatur
memoria sanctitatis.
2. Beatus Gebehardus
ab infantia spiritum
Sortitus est bonum,
Per quem erat puer docilis
Et amabilis valde.
3. In disciplina morum
Profectuque virtutum
Super docentes se in brevi
Enituit unctione magistri.
4. Benedictio Domini
Super caput iusti,
Memoria eius
In saecula saeculorum.
5. Hodie posito corpore
Praesul sanctus dives meritis
Penetravit in sancta, similis
Factus in gloria sanctorum.

Ad Benedictus.

A. Euge, serve fidelis,
Qui tuum thesaurum
condens in caelis
Creditum talentum
cum lucro reportasti
Et gaudium Domini tui
hodie laetus introisti,
Tuis servis,
sancte praesul Gebehardc,
Clementer digneris,
quaesumus, opitulari,
Ut in filiorum
numerum adoptati
Deique heredibus associati
Quandoque facie ad faciem
mereamur contemplare,
Quem nunc per speculum
nitimur indagare.

In 2. Vesp. ad Magn. **A** fehlt B. — Hymnen vgl. Mone No. 937 (A) und 939 (B). Mone nennt (III, 312) dies Officium „ein metrisches Leben Gebhards in vierzeiligen assonierenden Strophen von ungleichem Bau.“ Diese Vierzeiligkeit ist nur bei der Mehrzahl der **AA** durchgeführt und wird das Ganze richtiger als Reimprosa zu bezeichnen sein.

18. De sancto Georgio.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Laudibus aptati
tironis martyrizati,
Divo coronati
simus iubilare parati,
Ut per eum grati
coadunemur deitati.

Ad Magnificat

A. Ierusalem natae,
laetanter glorificate
Sanctum, qui palma
fruitur victoris et alma
Percepit dona,
decoratus in arce corona

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In neumis chori
Christo iubilemus honori,
Cuius amore mori
voluisti, sancte Geori.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pravorum fata
devitans lege beata
Firmari studuit,
qua Domino placuit.

2. Ex divinorum
praeceptis vincla malorum
Disrupit, chorum
sic ingrediens beatorum.

3. Cum tribulabatur,
diva virtute iuvatur
Robore pugnandi,
vincendo fidem solidandi.

Responsoria.

1. Nobilis, o Christe,
iuvenis tibi militat iste,
Dum crucis in signo
victo dracone maligno
V. Virgo salvatur,
baptismo plebs renovatur.

2. Daemoniis fano
libare nolens, Daciano
Suasit iniquorum
contemptum daemoniorum,
V. Christicolam sese
proclamat firmiter esse.

3. Haec postquam fatur,
uncinis dilaceratur,
In qua tortura
divina datur sibi cura,
V. Qua confortatus
evicerat hos cruciatus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocat auxilium
. . . quoque divinum,
Quod cito propitium
repperit atque pium.

2. Huius clamorem
Deus attendensque dolorem
Vim vi correxit
nec non super aethera vexit.

3. Laudem perfecit
inimicos suppeditando,
Idola deiecit
Dominum sic glorificando.

Responsoria.

1. Iste fide fixus,
plumbi sartagine frixus,
Constanter stando
vicit Dominum rogitando,
V. Quod non sunt illi
laesi carnesque capilli.

2. Collisisque rotis
gladiis insaeptis acutis
Hunc nihil aut parum
laesit fractura rotarum,
V. De caelo nempe
fuerant confractae repente.

3. Praeses tormentis
hunc superare nequivit,
Cum blandimentis
sanctum victurus adivit,
Munera praestando,
partem regni stipulando,
V. Ut diis orando
pareat libamina dando.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iustum iustitiae
Deus hunc hodie peramavit.
Hostes qui stravit
Victor ovans hodie.

2. In sancto monte
Domini praedigne quiescit,
Qui nulla fronte
vitii ceu sorde tepescit.

3. In virtute tua,
Deus, exsultans vehementer
Fulget perpetua
deitatis luce decenter.

Responsoria.

1. Praesidis ad vota
die tertia mente devota
Orat praesente
templo, non credula mente,
V. Quod gens, fanum, dii
perirent voragine mundi.

2. Videns insanus
se delusum Dacianus,
Martyr equis trahitur
et decollando beatur,
V. Ignibus aeterni
praeses sorbetur Averni.

3. O miles Christi,
qui caelos victor ivisti,
Nos salvatori
commenda, sancte Geori,
V. Ut mala vincamus,
nos Christo commaneamus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hic testamentum
Deo credibile fecit,
Cum non defecit
in tormentis ferientum.

2. Exsultat iubilans
regnum caeleste subintrans
Iuvenis cum Christo
mundo sublatus ab isto.

3. Perdere cum quaerunt
animam sanctam, subierunt
Infima terrarum
sub faucibus orcicolarum.

4. Hymnizans vixit
semperque Deum benedixit
Impetrando piam
supplicibus veniam.

5 Sic cum laude Dei
superos devotus adivit,
Et spondetur ei
fieri, velut ipse petivit.

Ad Benedictus.

A. Martyr sancte Dei,
nos inferto requiei,
Cui nunc addictus
es, nam tibi benedictus
Cornu virtutis
erexerat atque salutis,
Ut contra tela
zabuli sis nostra medela.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O sanctissime
Christi athleta Geori,
Nos famulos tuos
ad te clamantes exaudi,
Ut tuis precibus sacris
a cunctis malis muniti
Paradisi amoenitate
mereamur frui.

Brev. ms. Voraviense saec. 15. Cod. Voravien. 268. — In 1. Vesp. Super Ps. **A**, 2 thronis martyrizati. — In 1. Noct. **R** 3, 5 Quod. — In 2. Noct. **R** 1, 6 cardinesque. — **R** 2, 2 inseptis. — In 3. Noct. **R** 1, 4 templa. — **R** 1, 5 vanum. — In Laud. **A** 3, 2 sopierunt. — **A** 2, 4 horticularum. — Ad Bened. **A**, 2 infer. — Hymnen: In Vesp.: Martyr egregie, Deo dilecte (Mone III, 316); ad Laudes: Chorus novae Ierusalem (Anal. II, 93).

19. De sancta Gertrude.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Solaris dum
volvitur orbita,
Votiva recurrunt festa,
In quibus et Domini
recitantur magnalia,
Et virginis
retractantur merita.

2. Gertrudis
pietate ineffabilis,
Tibi persolvimus
debita laudis.
Tu solita clementia
Adauge devotionis
incrementa.

3. Te clangat ergo
nostra vocula,
Tibi, o pia, reddat
famulamina,
A te exposcat
misericordiam,
Quam nescis
denegare cuiquam.

4. Tibi rite
psallimus, virgo,
Tibi laudes
referimus ex debito,
Quia, quotiens premimur
anxietatibus,
Ad te nobis fidus
patet recursus.

5. Mole criminum
premimur,
Debilitate inopiae
consumimur,
A te deposcimus
misereri,
Succurre nostro
defectui.

Ad Magnificat.

A. Laudem demus Domino,
Virginis inquam filio,
Qui te, o sacratissima virgo,
Mundi resolutam ergastulo
In caeli hodie
relevavit palatio,
Ubi, precamur,
nostri memor esto.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Christum regem,
Sponsumque sanctarum virginum,
Qui beatam Gertrudem
Collocavit inter choros angelorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hodiernae
sollemnitatis gaudia,
Quae nobis anni
reduxit orbita,
Pia recolamus devotione,
Virginis Gertrudis
utentes famulamine.

2. Generosa Christo virgo
Iustitiae vigebat zelo;
Sanctimoniae privilegio,
Caelestium autem
flagrabat desiderio.

3. Hac ergo pollens
maturitate morum
Quaesivit sibi aptare
virgineum sponsum,
Cum quo virginitatis
firmaret chirographum.

Responsoria.

1. Venerabilis
virgo Gertrudis,
Generositate
quidem nobilis,
Sanctitate
autem insignis,

Pietate laudatur
et est ineffabilis.
V. Dum adhuc tenerrima
teneretur aetate,
Morum sublimari
intendit perfectione.
2. Ubi pater
virginis gloriosus
Communis exitii
complevit planctus,
Hinc dolor nimium eius
praegravavit animum,
Quattuordecim enim
tantum erat annorum.
V. Matrem gaudebat superstitem,
Quo eius saltem praesentia
animum consolaretur puerilem.
3. Igitur venerabilis
mater virginis
Hortatu Amandi praesulis
In ecclesiam propriae domus
transmutavit fastigia
Consecrandi gratia,
V. Unde sacrum
Sibi aptavit
velaminis signum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sacerdotalem virum
nomine Amandum.
Episcopatus quoque
honore praeditum,
Ad virginis matrem direxit
Dominus omnium.
2. Quem illa
suscipiens gaudenter
Intentionem mentis
ex ordine
patefecit fideliter.
3. Inde sacrum sibi mater
aptavit velaminis signum,
Placuitque regulari
vinculo subiugare animum.

Responsoria.

1. Quidam autem diabolica
fraude decepti
Virginis inardescunt amori
Et quaesierunt
eam rapere vi
Et tradere nuptui.
V. Ut autem mater defenderet
virginis abusionem,
Eius totondit
capitis caesariem.
2. Admonuit itaque
sacratissimam
mater virginem
Sacrae subire
consecrationis velamen
Et sic propositi
servare fidem,
At illa continuo
Iubentis paruit imperio.
V. Hortata est quoque eam
addere adhuc onus oneri,
Ut pondus regiminis
imponeret sibi.
3. Timens ergo sacratissima
virgo Gertrudis,
Ne forte in arrogantiae
incideret iactantiam,
Post multa
virtutum exercitia
Pastoralis regiminis
deposuit onera,
V. Quaerens ergo
Christo placere
Et libere per viam
salutis incedere.

In 3. Nocturno.

Antiphona.

1. Quadam autem die
Dum perseveraret
virgo in oratione,
Igneus globus mittitur
e caeli regione

Et obnixe videtur
virgini deservire.

2. Perlustravit enim
habitationem oratorii
Inde figitur laqueari,
Ubi nec datur defectui
Nec augetur
damno incendii.

3. Mirantur ergo
cuncti, qui aderant,
Et quis rei detur
exitus, exspectant
Et subito vident
in creatione virginis
Paulatim minui
integritatem luminis.

Responsoria.

1. Postquam igitur
virgo sacrata
Regiminis
expeditur sarcina,
Castigatione
maceratur voluntaria,
Ut sine offensionis mora
Ad aeterna
proficiscatur praemia.

V. Sciebat enim per dominicam
revelationem
Imminere sui corporis
resolutionem.

2. Gloriosa virgo
Christi Gertrudis
Post debita humanitatis
Ad regis regum
accersitur palatium,
Ubi ob perfectae
virtutis decursum
Immarcessibilis coronae
accepit bravium.

V. Angelorum
comitatu potitur
Atque cum digno tripudio
paradisum introfertur.

3. Virgo sacrata dum quaerit
copulari Christo,
Quodam praepeditur
offendiculo,
Quod et viriliter
vicit in Domino.

V. Australiorum
enim ducis filius
Virginis inardescit
amoribus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O quam gloriosa es virgo,
Quae totius decoris
regnas cum Domino
Et adoptato
perfrueris thalamo,
O pia virgo.

2. In iubilo vocis
Pangamus Domino
cantica laudis,
Qui te ditavit
honore tanto,
O pia virgo.

3. Meliorem esse Domini
misericordiam super vitas,
Et orbis clamat diversitas,
Et tua testatur beatitudo,
O pia virgo.

4. Benedicant omnes angeli
Sanctique Domini Domino,
Quoniam te copulavit
eorum consortio,
O pia virgo.

5. Laudemus nomen Domini
In choro et organo,
Quia beneplacitum
est ei in te,
O pia virgo.

Ad Benedictus.

A. Virgo Christo amabilis,
In omnibus laudabilis,
Pietate ineffabilis,
Tu gaudium omnium
Ad te pie clamantium,
Exaudi nos supplices
In te semper sperantes.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Generosa virgo Gertrudis,
Supplicum semper
fidelissima consolatrix,
In te nobis portus salutis,
Ad te clamantes
exaudi, rogamus,
Et misericordiam,
quam de te praedicamus,
Pie sentiamus.

Cod. Palat. Vindobonen. 4715 saec. 15.

20. De sancta Gertrude.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Qui sibi Gertrudem
sponsam delegit, adoret
Et colat et timeat
contio nostra Deum.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. O vere prudens,
o vere virgo beata,
Ignivomam occurrens
sponso quae lampada sumpsit,
Nam bona, quae gessit,
flammis ignivit amoris
Divi, non laudis
quaerens aliunde nitorem;
V. Hanc Dominus veniens
invenit sic vigilantem.

2. O nimium felix
est donum virginitatis,
Subdola versuti
quo fraus eliditur hostis,
Cum praeter carnem
caro vivit caelibe vita,
V. Et pro terrenis
caelestia regna patescunt.

3. Virginis eximiae
Gertrudis festa colentes
Altithrono regi
solvamus debita laudis,
V. A quo cunctorum
procedit origo bonorum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Vita duarum agitur
gemina in Gertrude sororum,
Fervidus urget amor,
sollicitudo premit.

2. Quantum crevit onus,
tantum devotio crevit,
Cuncta per hoc fieri
prosperiora putat.

3. Exteriora suis
dat quaeque fidelibus apte,
Dispensanda tenens
interiora sibi.

4. Taliter internis
externa aptabat, ut esset
Par erga Christum
cultus et unus amor.

5. Magna datur nobis
divinae copia laudis
Normaque virtutis
virginis huius ope.

Ad Benedictus.

A. Post vitae cursum
fragilis durosque labores
Gertrudis posuit
flebile carnis onus,
Laeta tamen perfert
lucis discrimen amicae,
Cernere cum liceat
iam sine nocte diem.

Antiph. ms. saec. 16. Cod. Hafnien. Ny kongl. S. 8. 3449.

21. De sancto Gerulpho.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Illuxit nobis hodie
Novae splendor laetitiae,
Dum fulget in ecclesia
Sancti Gerulphi gloria.

2. Ut vas electum caelitus
Virtutibus imbutus,
Terrena sprevit penitus
Caelestia secutus.

3. Post sanctitatis studium,
In quo [sanctus] praeflornit,
Ascendit ad martyrium,
Quod solum ei defuit.

4. Athleta fortis Domini
Processit proeliari,
Vicit, victori datum est
in caelis gloriari.

5. Eius praeclara merita
Pangamus laude debita,
Ut nos post mundi proclia
Ducat ad caeli gaudia.

R. Gerulphe, martyr nobilis,
Succurre tuis famulis
Et salva tuis precibus
Tuis intentos laudibus;
V. Qui laetamur cotidie
In laude tuae gloriae,
Per te sumamus praemia
Caelestis vitae gaudia.

Ad Magnificat.

A. O dilecte Deo,
nostri, Gerulphe, memento,
Acquirens nobis
aeternae gaudia lucis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad iubilum vocis
iungamus cantica cordis
Et cum Gerulpho
iubilemus in aethere Christo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gerulphus almis actibus
Ab annis puerilibus
In lege Dei sedulus
Dies egit cum noctibus.

2. Dum convenirent populi
Adversus sanctum Domini,
Solo fidens in Domino
Vicit eius auxilio.

3. De multis eum hostibus
Victorem fecit Dominus,
Addens eius victoriae
Donum perennis gloriae.

Responsoria.

1. Adest sacra sollemnitas
Sancti Gerulphi martyris,
Quem larga Dei bonitas
Summis ditavit gaudiis;
V. Ut mundum sol illuminat
Splendoris sui lumine,
Sic ornavit ecclesiam,
Suo Gerulphus sanguine.

2. Hic puer ab infantia
Detestabatur vitia
Et intendit virtutibus,
Sicut praecepit Dominus;
V. Coronandus martyrio
Se mancipavit Domino
Et gratiosus exstitit
Tam Deo quam hominibus.

3. Frequentabat ecclesias
Devotionis gratia
Et sanctorum memorias
Cum magna reverentia,
V. Quos iam cum Christo noverat
Feliciter gaudere,
Illorum sanctis gressibus
Elegit inhaerere.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mirificavit Dominus
Electum suum famulum,
Quem dedicando martyrem
Mundo fecit mirabilem.

2. Scuto protectus gratiae
Palmam sumpsit victoriae.
Cui cessit in praemium
Caelestis benedictio.

3. Honoris excellentiam
Et sempiternam gloriam
Sumpsit martyr egregius
Cum civibus caelestibus.

Responsoria.

1. Hic sanctus inter homines
More non vixit hominum,
Nam peritura respuit
Solum secutus Dominum;
V. Flagrabat enim fortiter
Caelesti desiderio
Et blandimenta noxia
Fuerunt ei taedio.

2. Labentis mundi gaudia
Contempsit ut inania
Et reputabat frivolum,
Quidquid habebat terminum;
V. Quod mundus suasit dulciter,
Contempsit ille fortiter,
Nolens fallaci gaudio
Summo fraudari praemio.

3. Quis non sollemni studio
Dei miretur gratiam,
Qui sancto suo famulo
Talem donavit gloriam,
V. Gementem in exsilio
Eduxit de miseria
Et gloriosum martyrem
Laetum fecit in patria.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gerulphus, martyr inclitus,
Confisus est in Domino,
Per quem calcavit omnia,
Quae florent in hoc saeculo.

2. Quem fecit esse Dominus
Sine mortali macula,
Perduxit eius animam
In caeli tabernacula.

3. Magna fuerunt proelia,
Quae pertulit pro Domino,
Maiora tamen praemia
Mansura sine termino.

Responsoria.

1. Gerulphum sanctum martyrem
Devote veneremur,
Ut ad superna gaudia
Per ipsum sublevemur,
V. Qui Christum subsecutus est
In morte salutari,
In eius semper laudibus
Curemus gratulari.

2. Hic tiro sanctus Domini,
Virtutibus armatus,
[Hic] dimicabat fortiter,
Nam hostis est prostratus;
V. Hostis putabat vincere,
Sed ipse fuit victus,
Nam ad honorem martyris
Finitus est conflictus.

3. Qui prius, clarus exstitit
Ut nobilis persona,
Post martyr fulsit clarior
Cum aurea corona;
V. Eius orationibus
In terris protegamur,
Ut sempiternis gaudiis
In caelis perfruamur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ad laudes Domini
surgamus corde libenti,
Laetabundi de gaudiis
Gerulphi sancti martyris.

2. Iam cum laetitia
caelesti vivit in aula,
Quem vitae innocentia
Perduxit ad caelestia.

3. Ad Dominum vigilans
prima de luce cucurrit,
Ut videret dulcissimam
Virtutis eius gloriam.

4. Eius erat studium
semper benedicere Christum
Eiusque rei praemium
Gaudere in perpetuum.

5. Iam canit hic sanctus
Domino nova cantica laetus,
Quem semper totis viribus
Collaudet omnis spiritus.

Ad Benedictus.

A. Erexit nobis omnibus
Cornu salutis Dominus,
Quod est cum sanctis moribus
Vita Gerulphi martyris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Gerulphe, martyr Christi,
Sicut mundo lux fuisti,
Sic et nobis sis lucerna,
Qua ducamur ad superna.

Acta Sanctorum, Sept. VI, 251 sq. — Von diesem Officium war den Bollandisten ein gedrucktes Exemplar von Antonius de Stoop, Abt von Tronchiennes, gesandt worden. Sie haben dasselbe in ihren Acta uns erhalten, aus dem es hier abgedruckt erscheint.

22. De sancto Godehardo.

In 1. Vesperis.

R. Antistes quidam per visum
Ac nocte solis radium
Vidit infulgentem ori
Sancti patris Godehardi,
V. Et cum fulgore spiritum
Migrare vidit ad Deum.

Ad Magnificat.

A. Magnificet te Dominum
Coetus omnis credentium,
Qui exaltasti humilem
Godehardum pontificem,
Inter superna agmina
Digna sublimans gloria,
Cuius praecelsa merita
Nostra relaxent delicta.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Alleluia Deo
iucundum psallite melo,
In quo mirificus
praesul vivit Godehardus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir Godehardus,
In lege Dei sedulus
Fructu laudabilis vitae
Suo refulsit tempore.

2. Constituit eum Deus
In speculum praesulatus,
Ut ipsius praeceptorum
Legem doceret populum.

3. Mirificatus a Deo
In hominum collegio,
Iam tum laetitia cordis
Quiete novatur pacis.

Responsoria.

1. Igne divino succensus
Venerandus Godehardus
Mundi sprevit laetitiam
Vitam quaerens perpetuam,
V. Propositum monasticum
Suscipiens et habitum.
2. Hinc sublimatum cathedra
Pontificali gratia,

Pastoris aeterni Dei
Suo praeposuit gregi,
V. Quia glorificantes se
Consuevit glorificare.

3. O celsi meriti virum
Et praesulem Deo dignum,
Cuius obferri visibus
Nequam refugit spiritus;
V. Vas relinquens, quod possedit,
Ad nomen eius tremuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In benedictionibus
Tuis iustus recognitus,
Laetatur in te, Domine,
Nitens corona gloriae.

2. Tu Deus admirabilis,
Omni terrae laudabilis,
Tuo praelatum operi
Super caelos exaltasti.

3. Hic etenim rectus corde,
Confidens in te, Domine,
Montem virtutis ascendit
Et aequitatem dilexit.

Responsoria.

1. Partim leprosum puerum
Et partim paraliticum
Vivens adhuc in corpore
Curavit pontifex iste
V. Et infirmantes oculos
Per benedictos flosculos.

2. Hic transitus sui diem,
Sibi desiderabilem,
Longe prius praedixerat
Suisque nuntiaverat,
V. Sui laboris terminum,
Per spiritum propheticum.

3. Diuturnis languoribus
Contractus quidam rusticus
Huius sancti pontificis
Curatus est suffragiis
V. Alterque casu contusus
Trabis et debilitatus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Te decet hymnus, Domine,
Cuius electus munere
Sanctus Godehardus tuis
Inhabitat in atriis.

2. Iam felix cum sanctis tuis
Supernae domus incolis
Te collaudat regem regum
In saecula saeculorum.

3. Hic velut palma floruit
Et ut cedrus emicuit,
Nunc transplantatus caelicis
Floret vernans in atriis.

Responsoria.

1. Pauper quidam puerulus,
Fini vitae iam proximus,
Per huius sancti meritum
Obtinuit remedium,
V. Puella quoque per cuncta
Paene membra praemortua.

2. Caecus quidam diaconus
Ad tumbam praesulis huius
Per eius patrocinium
Amissum recepit visum
V. Diuque caeca femina
Per eius clara merita.

3. Laus et honor, Christe,
tibi vivens vir fuit iste,
Quem dilexisti,
per quem tibi complacuisti,
Hic sublimasti,
post haec super astra locasti;
V. Iustitiae zona
cinctus meritaque corona.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sedem Deus a saeculo
Praeparavit sancto suo,
Quem dum virtute praecinxit,
Excelsum decorans fecit.

2. Cordis vocisque iubilo
Servite Deo Domino,
Cuius intravit confitens
Portas hic sanctus pontifex.

3. Ad te de luce vigilans
Teque, Deus, desiderans
Susceptus est a dextera,
Post quam adhaesit mens sua.

4. Beatorum sacerdotum
Chorus benedicat Deum
In sancto laudis iubilo
Tanti viri consortio.

5. Laudet omnis creatura
Dei nostri magnalia,
Per quem gaudet Godehardus
In sanctorum cubilibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus sit Dominus
Suorum pater et Deus,
Ad quem ascendit hodie
Praesul dignae memoriae
Dono suae pietatis
Directus in viam pacis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O magna Christi gratia,
Devote glorificanda,
Qui famulum suum multis
Glorificat miraculis,
Succurrens cunctis illius
Suffragia petentibus,
Cui laus sit et imperium
Per saecula sacculorum.

Antiph. ms. Brandenburgense saec. 13. Cod. Berolinen. Fol. 218. add. saec. 15. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Fehlt eine Silbe; vir ergänzt. — **A** 3, 4 novetur. — **R** 2, 2 gratiam. — **R** 3, 1 O celi meriti. — In 3. Noct. **R** 3, 6 supra astra. — In Laud. **A** 4, 2 benedicat eum. — Hymnus „de resurrectione vel ascensione."

23. De sancto Goerico.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Almi patris
in natalitio
Hilarescat
caelestis contio,
Psallat clerus
ferventi studio,
Ut sic crescat
plebis devotio,
Spinalensis
exsultet natio,
Tanti regis
tuta praesidio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Mira decent metra
regnantem lucis in aethra,
Qui te mirifice
decoravit, rex Goerice.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir beatus cum beatis
Gloriose vivit,
Quem praeclarae maiestatis
Thronus insignivit.

2. Fremit frequens populus,
obstupescit signis,
Quibus crebro radiat
pontifex insignis.

3. Domini multiplici
gratia ditatus
Tenuit multiplices
terrae principatus.

Responsoria.

1. Primo gradu dignitatum
Dat primati comitatum
Felix Aquitania,

Fit praeclarae sedis comes.
Cuius sedi digna comes,
Assidet iustitia,
V. In quo vivit vitae fomes
Moriuntur vitia.

2. Comes raptus ad ducatum,
Dux ad regni principatum
Surgit potentissimus,
Ut de gradu positivo
Fiat in superlativo
Magnus, maior, maximus,
V. Hoc honore tam festivo
Timet regis animus.

3. Plebs assistens novo regi
Fremit plausu regio,
Cuius sceptro gaudet regi
Aquitana regio,
V. Rex divinae servit legi
Iugi desiderio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Salutaris deditus
studio sophiae,
Laudem Dei praedicat
septies in die.

2. Hinc terrestris incitat
regem regni cura,
Hinc caelestis regiae
sedes permansura.

3. O rex ineffabilis,
vir Israelita,
Qui regnare meruit
in utraque vita.

Responsoria.

1. Dum sic floret
virtutum vernula,
Eminenti
sedens in specula,
Luce mundi
privatur sedula
Caecitatis
opertus nebula,
V. Sed nec virum
frangit sors aspera
Neque mentis
exstinguit sidera.

2. Dominatur rex felici
Promotus auspicio,
Cadit manu sub victrici
Paganorum legio,
V. Sola fides Goerici
Triumphat in proelio.

3. Sedet rex in tenebris
vultu nubescente,
Sed ne robur fidei
titubet in mente,
Vox a patre luminum
mittitur repente,
V. Spem salutis nuntians
Domino iubente.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confortare, princeps fortis,
Quia tempus imminet,
Quo lux vera tuae sortis
Tenebras illuminet.

2. Si praefigi cupis metas
Instanti tristitiae,
Metim petas et sic metas
Fructum patientiae.

3. Tibi enim sicut dies
Nox illuminabitur,
Et de rege praesul fies,
A quo plebs salvabitur.

Responsoria.

1. Rex gavisus
promissi munere
Metim venit
felici sidere,
Voce ductus
potius ab aethere,
V. Cui carnali
coniunctus foedere
Urbis praesul
occurrit propere.

2. Dum in templi fundamentis
Contemplando fundat mentis
Goericus oculum,
Dum effuso pondus terrae
Sporta gaudet rex efferre
Visum est miraculum:
V. Fugit caeci nox invisa,
Redit visus, et lux visa
Reddit solis spiculum.
3. Ad tam sollemne gaudium
Concurrit turba civium,
Cum canticis et plausibus
Resultat vox laetitiae,
Collaudant regem gloriae,
Qui dat salutem regibus;
V. Translata sede patrui
Succedit praesulatui
Rex abiectis regalibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Si te nova moveant
et stupore digna,
Mira nostri temporis
admirare signa.
2. Capto Spinali oppido
dolis, non virtute,
Desperabant strenui
cives de salute.
3. Hostis clam ingreditur,
moenia transcendit
Et succensis aedibus
hostem lux ostendit.
4. Cives metus excitat
improvisae mortis,
Parat fugam pavidus,
proelia vir fortis.
5. Ad fugandas igitur
acies praedonum
Plebem clerus evehit
patriae patronum.

Ad Benedictus.

A. Mox ut princeps inclitus
Se fatetur foris,
Tremefacti fugiunt
Complices furoris,
Quibus metum incitat
facies victoris,
Dans afflictis civibus
spiritum vigoris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O qui rore spiritali
Corporalis ignem mali
Sanas potentissime,
Prece tua nos redime
Ab igne gehennali,
Quo cremantur animae.

Brev. ms. Praedicatt. Meten. saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2865.

24. De sancto Gorgonio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christiana devotio
Sobrio colat gaudio
Martyris celeberrimi
Sollemnia Gorgonii,
Cuius oris confessio
Sanguine scripta proprio
Sicut eidem gloriam,
Nobis adquirat veniam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sanctorum sancto
iubilemus corde pudico,
Mundum Gorgonio
tribuit qui vivere sancto.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Primus imperatorii
Gorgonius cubiculi
Reddebat sua Caesari
Atque Deo, quae sunt Dei.

2. Occulto tyrocinio
Famulabatur Domino,
Quia norat gentilium
Crudelitatem principum.

3. Commilitonum mentibus
Inculcabat sollicitus
Et puritatem fidei
Et propter ipsam commori.

Responsoria.

1. Hodierna sollemnitas
Triumphum nobis renovat,
Quo clarus vir Gorgonius
Mundanos vicit fremitus
Atque per Christi gratiam
Intravit poli regiam.
V. Bonum certamen certavit,
Cursum consummavit,
Fidem servavit.

2. Christi miles Gorgonius
Tyranno dixit comminus:
Iam nunc, infelix, desine
In Christianos furere,
Ne incurras supplicia
Pro brevibus perpetua,
V. Suspende mentis rabiem
Et deponens perfidiam
Time Dei institiam.

3. Confessione martyris
Mens perturbatur Caesaris,
Esse dolens Gorgonium
Christicolam verissimum,
Quem tentabat reducere
Vesanae idolatriae;
V. Tristabatur se deseri
A milite tam nobili
Et belli rebus utili.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sacrilegorum rabie
Effervente quam maxime
Detexit luce clarius,
Quod Dei esset famulus.

2. Agone coepto martyres
Videns insuperabiles
Nefas credebat fidei
Luctam per se non aggredi.

3. Firmato tandem animo
Cum Dorotheo socio
Capessit praesens stadium
Vitae sumpturus bravium.

Responsoria.

1. Cessent, inquit martyr, tuae
Virulentae blanditiae,
Fidelis in verbis suis
Nobis Deus non aberit,
Qui pie se quaerentibus
Adesse est pollicitus;
V. Illum credimus cordibus,
Hunc confitemur vocibus,
Ipsum testamur moribus.

2. Permotus iracundia
Caesar plenus malitia
Virum sanctum artissimo
Mancipavit ergastulo,
Ut sub nocte disponeret
Illum, quem male perderet;
V. Prorumpente diluculo
Praesto sunt ex officio,
Cum quis tractabat sedulo.

3. Suspensus athleta Dei
Patibulo eculei
Flagris torquetur nimiis
Et laniatus ungulis
Ad tormenta distenditur
Patefactis visceribus,
V. Quorum respersus intima
Salis, aceti copia,
Nec poena fractus impia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctos ductos in medium
Caesar monet: periculum
Declinate cum maximo
Animarum periculo.
2. Frustra tyrannus replicat
Falsas illis divitias,
Quibus Deus totum erat,
Qui est verax et veritas.
3. Ait iam palmae praescius
Egregius Gorgonius:
Qui nos facit confligere,
Dabit nobis te vincere.

Responsoria.

1. Gaudebat Dei famulus
Inter tormenta positus
Et caelo tendens lumina
Voce dicebat libera:
Grates tibi, rex gloriae,
Me dignare respicere;
V. Cor contritum et humile
Qui nunquam soles spernere,
Te suspirantem suscipe.
2. Venerandus Gorgonius
Lentis admotus ignibus
Cruciatur immanius
Et retardatur obitus,
Sic merces crescit martyri
Confusioque Caesari;
V. Depascebat diutinum
Fessa membra incendium
Illatum et cohibitum.
3. Expleto iam luctamine
Fidei et perfidiae,
Martyr Christi laudabilis
Fusa laude precaminis
Laqueo tandem finiit
Cursum sui certaminis;
Sic triumphali gloria
Subiit vitae pascua,
V. Comitatus angelico
Ad aethera tripudio
Cum dominantum Domino
Regnaturus perpetuo.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gorgonii sanctissimi
Corpus campis expositum
Angelorum excubiis
Tutum manet a bestiis.
2. Honore tandem debito
Componitur in tumulo
Et signis mirabilibus
Honoratur divinitus.
3. Ad magnam Christi gloriam
Meritis ornat Gorziam
Et Galliarum populis
Non deest patrociniis.
4. O felix Dei munere
Gorzia tanto maxime,
Cuius instas obsequiis
Et muniris suffragiis.
5. In sanctorum ecclesia
Laus Domini sit sedula,
Qui martyris hic precibus
Adest pie clamantibus.

Ad Benedictus.

A. Benedicta sit gratia
Dei nostri largissima,
Qua praeventus Gorgonius,
Martyr pretiosissimus,
Alacriter immania
Superavit supplicia
Et cum triumphi gloria
Caeli conscendit culmina.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Gorgoni, piissime
Martyr et invictissime,
Quem suis mundus proeliis
Nec tenuit nec terruit,
Posce nobis nequitiae
Mundana bella vincere,
Ut pariter cum Domino
Exsultemus perpetuo.

Brev. ms. S. Florini ad Confluentes saec. 14. Cod. Capit. Treviren. 173. A. — Brev. ms. S. Florini saec. 14. Cod. Semin. Magunt. s. n. B.

25. De sancto Grato.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Augusta de patrono,
Grato, pastore bono,
Refer Christo laudes
Dulci iubilans sono,
Sub cuius Dei dono
Custodia gaudes.

2. Gratus, praesul insignis,
Miris refulsit signis
Divina gratia
Dante laudeque dignis,
Dans precibus benignis
Aegris remedia.

3. Vis nosse miracula
Quantaque signacula
Gratus fecit rite,
Fugat prece sedula
Morbos et pericula,
Dat mortuos vitae.

4. Gratus, flos pontificum,
Felix regnum caelicum
Scandit laureatus,
Qui suorum supplicum
Laudis sumens canticum
Deleat reatus.

5. O vir ineffabilis,
Grate, pastor nobilis,
Apud Christum ducem
Fac, praesul amabilis,
Quod tecum grex humilis
Ducatur ad lucem.

R. Gratus cunctis gratiosus,
Vir serenus et famosus,
Omni carens reatu,
Miraculis virtuosus,
Operibus fructuosus
Fuit et praedicatu,
V. Nunc in caelis gloriosus
Regnans atque pretiosus
Oret pro praesulatu.

Ad Magnificat.

A. Sancte Grate, Dei care,
Pro famulis deprecare,
Confessor egregie,
Ne pro nostro nos defectu
Careamus hoc aspectu
Visionis gloriae,
Quo perfrui te credimus,
Ubi status est optimus
Pacis et laetitiae;
Fave, pater, precantibus,
Impetrans famulantibus
Tibi statum gratiae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regum rex hodie
Grati festo veneretur,
Vox sonet ecclesiae,
Gratus meritis celebretur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut beatus oret Gratus
Pro nostro collegio,
Praeveniri festum viri
Vult honoris studio.

2. Huius chori vox honori
Sancti Grati congruat,
Ut peccata perpetrata
Pia prece diluat.

3. Grate pater, nos, quos ater
Terret actus criminum,
Fac securos et mansuros
Dirigas ad Dominum.

Responsoria.

1. Plebs fidelis cum superna
Die plaudat hodierna
Corde, voce, manibus,
Dies enim innovatur,
In qua Gratus honoratur
Hic et in caelestibus;

V. Devote Grati
veneremur festa beati.

2. Festi Grati lux illuxit,
Gratus Deo gratam duxit
Vitam suo tempore,
Deum videt in gloria,
Gratus fuit munditia
Et mente et corpore.
V. Gratus erat Christo,
dum mundo vixit in isto.

3. Libri tradunt antiquorum,
Quod corpora Thebaeorum
Cum praesule socio
Sanctus Gratus congregavit
Et in unum collocavit
Pietatis studio,
V. Partem penes se,
voluit pater e quibus esse.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gratus, praesul Augustensis,
Viriliter ab offensis,
Dum vixit, abstinuit.

2. Hinc in terra christicolis
Et in caelo caelicolis
Eius vita placuit.

3. Sicut fuit gratus vita,
Grati preces gratas ita
Signis Deus innuit.

Responsoria.

1. Sanctus Gratus in Augusta
Praesul fuit causa iusta,
Urgentibus meritis,
Virtutibus nam pollebat,
Bonum opus exercebat
Et pium in subditis,
V. Plenus honestate
Gratus fuit et bonitate.

2. Caput Iohannis Baptistae
Relevavit sanctus iste
De putei sordibus,
Quod sola Dei gratia
Atque precum instantia
Saltavit in manibus;
V. Gratia sit grata
dignis virtute negata.

3. Cum properat Romam ire
Papae volens oboedire
In his et in omnibus,
Quod advenit homo bonus,
In campanis docet sonus
Sponte resonantibus,
V. Concurrunt cari
pace Gratum venerari.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Campanarum signat sonus,
Mortuorum, quam sit bonus,
Ostendunt miracula.

2. Non abiit hic post aurum,
Caelo condidit thesaurum
Immunis a macula.

3. Super pauca fuit fidus,
Supra multa clarum sidus
Fulgebit per saecula.

Responsoria.

1. Bonitate Grati nota
Papa cum curia tota
Locum sedis congrùum
Post papae sedem concedunt
Et omnibus, qui succedunt,
Hinc et in perpetuum;
V. Quem videt esse bonum,
dat papa bonum sibi donum.

2. Unum domi qui migravit
Sanctus Gratus suscitavit
Mortuum precatibus
Alterumque suffocatum
Aquis dedit suscitatum
Motus matris fletibus;
V. Est meriti fortis,
qui tollit taedia mortis.

3. De supernis iste sanctus
Miserorum audit planctus
Et videt angustias,

Tribulatis consolamen
Et infirmis dat levamen
Dulcorans miserias,
V. Languorem morbi
tollens est utilis orbi.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In Augusta civitate
Sanctus Gratus dignitate
Potitus est praesulis.
2. Grati vita insignitur,
Sicut scriptum reperitur,
Et fulget miraculis.
3. Collectio Thebaeorum
Probitatem monstrat morum
Cum Baptistae capite.
4. Campanae sponte sonantes
Et mortui relevantes,
Quis fuit hic, discite.
5. Augusta, quam es inclita,
Quae tanto gaudes subdita
Et tali patrono,
Qui facie ad faciem
Miratur Dei speciem
Fulgentis in throno.

Ad Benedictus.

A. Hierusalem cum Augusta,
Gaude fide in robusta,
Nam in tuis finibus
Mortui sunt suscitati,
Qui fuerant adnotati
In praesulis laudibus.

Offic. ms. S. Grati saec. 15. Codicill. ms. Valerian. 72—16. A. — Brev. Augustense imp. 15** B. — In 2. Noct. **A** 2, 1 Hic in B; hic fehlt A. — In Laud. **A** 4, 3 dicite B. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** prosaisch. — Die drei zu diesem Officium gehörigen Hymnen vgl. Anal. XXII, Nr. 122 sqq.

26. De s. Gregorio et Sociis.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Habitator Deus caeli
Respicit humilia,
Dum submittit se fideli
Iugo Christi Mauria.
2. Cuius nati dum vocantur
A rege perfidiae
A virtute confirmantur
Divinae clementiae.
3. Maiestatem et virtutem
Non timent imperii,
Deus solus dat salutem,
Non hominum filii.
4. Sua Deo, sua regi
Dant in mundi proelio,
Sic utrique parent legi,
Deo sit laudatio.
5. Benedixit Deus natis,
Cui ferventi spiritu
Servierunt feritatis
Nullo moti fremitu.

R. Mauri sancti perstitere
Fortes in certamine
Suasque dealbavere
Stolas agni sanguine,
Quorum, Christe, nos tuere
Fideli precamine.
V. Nulli tantum meruere
Mortis in examine,
Ut qui sponte tradidere
Se pro Christi nomine.

Ad Magnificat.

A. O beata Deo grata
Maurorum memoria,
Quorum floret consecrata
Cruore Colonia,

Aula caeli decorata
Perenni laetitia,
Prece quorum adoptata
Consequamur gaudia.

Ad Completorium.

Super Nunc dimittis.

A. Princeps Maurorum,
Gregori, cum sociorum
Agmine sanctorum
pete nobis regna polorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus caeli Deum,
Qui Mauris insignibus
Gloriosum dat tropaeum
Pro fide certantibus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex mittendo manus
simulat se Maximianus
Facturum pacem
ritum tollendo rapacem.

2. Inventum vero
fuit huius corde severo,
Deleat ut nomen
Christi sibi triste per omen.

3. Ardua consilia,
fera vis, humana sophia
Dum male bacchantur,
in Christum nil operantur.

Responsoria.

1. Mauri cives Africani
De suo consilio
Vocantur Maximiani
Caesaris imperio,
V. Christiani et pagani
Iussu parent regio.

2. Mauri nuper baptizati
Romam tendunt propere,
Ubi fide confirmati
Ampliori foedere
V. Sunt parati mortem pati
Quam fidem relinquere.

3. Qualiter sit Christiano
Fidei religio
Observanda sub pagano
Truce duce praevio,
V. Placet plano, patet sano
Papali consilio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Corpora sternuntur,
animae nunquam moriuntur,
Quo magis artatur,
fidei tenor amplificatur.

2. Thebe Thebaeos
Eoos destinat eos,
Et Mauros lavacro
dat tinctos Africa sacro.

3. Hi baptizati
Romaeque fide solidati
Sunt adversa pati
pro Christo quaeque parati.

Responsoria.

1. Quo consulto decrevere
Caesari militiam
Contra hostes exercere,
Christo innocentiam.
V. Sic sincere iuste mere,
Viam tenent regiam.

2. Aquilarum dum sequuntur
Signa pro re publica,
Sub armis non secernuntur
A fide catholica,
V. Amplectuntur et loquuntur
Ea, quae sunt caelica.

3. Consummatur ut beati
Passio Mauritii,
Agrippinae congregati
Martyres egregii
V. Attemptati, decimati
Cadunt ictu gladii.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mauritii legio,
quae constans flamine dio
Permanet, in Rhodano
patitur sub Maximiano.
2. Pars idolatrarum
grandis, pars christicolarum
Pauca manent una
mixtim non lege sub una.
3. Caesar ut in festis
diis offert tura scelestis,
Libans laudatur,
nolens libare necatur.

Responsoria.

1. In campis Agrippinorum
Eriguntur idola,
Quae adorat paganorum
Multitudo frivola,
V. Ut caelorum intret chorum,
Collum dat christicola.
2. Sexto die, sub quo pridem
Gereon et socii
Decollantur propter fidem,
Mauri iam eximii
V. Sunt ibidem genus idem
Sortiti martyrii.
3. Princeps egregius
Maurorum cum comitiva
Grandi Gregorius
mactatur hostia viva,
Caelis invehitur
nardus fraglans aperitur,
V. Turma trecentorum
sexaginta sociorum.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Mors est Maurorum
pretiosa pioque decore
Ornat eos, quorum
sita sedes est in honore.
2. Coetus sanctorum
non cessans a famulando
Atria caelorum
penetrat laete iubilando.
3. Maurorum mentes
vigiles ad te sitientes
Ut suscepisti,
nos suscipe, gratia Christi.
4. Hic humiles corde
cui servistis sine sorde,
Omnia causanti
Domino benedicite, sancti.
5. Coetus sanctorum,
Dominum laudate polorum,
A quo cunctorum
procedit summa bonorum.

Ad Benedictus.

A. O patroni gloriosi,
Testes Christi pretiosi,
Vestris in corporibus
Patienter qui tulistis
Poenas mortis, meruistis
Ascribi caelestibus,
In hoc mundo confortate
Pugnantes et impetrate
Veniam supplicibus.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Idem tortor, idem
tempus, sed non locus idem
Militiae caeli
dat milia plura fideli.
2. Astant milia sex
sexcenti sex decies sex
Mauritio Rhodano
passi sub Maximiano.
3. Mauri ter centum
sexaginta subiere
Mortis tormentum
fidei certamine verae.
4. Ter centum nonis
bis cum sociis Gereonis
Sunt Agrippinae
custodes hi sine fine.

5. Victor ovat Xantis
ter centum ter deca sanctis,
Sunt octo passi
Bunnae centum, pie Cassi.
R. Colonia sancta, grata,
Tanto gaude nomine,
Rubricata, consecrata
Tot sanctorum sanguine,
V. Decorata, defensata
Tanta multitudine.

Ad Magnificat.

A. Te laudamus omnium
Singulare praesidium,
Deus, cuius numinis
Orbis nationes
Perlustrante gratia
Tam Africa quam Asia
Dant Europae terminis
Famosos tirones:
Mauritium, Cassium
Gereonem, Gregorium
Et Victorem additis
Turmis sociorum;
Tanta multitudine
Passos pro tuo nomine,
Summe clemens, meritis
Salva nos eorum.

Cod. Bruxellen. (ol. Belisianus) 9786—90 saec. 15. — In 3. Noct. A 2, 3 maneant. — R 2, 4 Mauricam eximii, mit nur drei Noten über ersterem Worte; lies Mauri iam oder Mauri clam? — Am Schlusse des Officiums findet sich noch ein überzähliges Resp.:

R. Transfert Anno castigatus
Flagellis insignium
Corpora Maurorum,
Sic correctus vir beatus
Condit oratorium
Meritis eorum,
V. In quo Deus exoratus
Admittit fidelium
Vota populorum.

und aufserdem eine Reihe von Antiphonen, deren Bestimmung unklar bleibt. Vielleicht sollten sie per Octavam dienen:

1. Singula si sancto cuivis veneratio detur,
Ista dies quanto reverendus honore coletur?
2. In qua tot, tanti pro Christi nomine sancti
Absque fugis cultro se dant gaudenter et ultro.
3. Sancti tentantur et in ordine bis decimantur,
Quilibet ulterior nititur esse prior.
4. Arma gerunt fidei Thebei animo rabiei,
Quae sunt regis ei dando Deoque Dei.
5. Maximianus eos occidit, quos dedit Eos,
Cur? quia Caesareos non coluere deos.
6. Ad mortem proni, quo vos datis ultro mucroni,
Confortate boni prece nos in agone patroni,
Arte diabolicae fraudis ne deficiamus,
Immo mirificae lucis requiem capiamus.

Hymnen: Gaude tellus fructuosa (Anal. XXIII, 188 sq.) und Deus tuorum militum (de comm.).

27. De sancta Gudila.

In 1. Vesperis.

1. Festa refert annus
nobis votiva reclusus,
In quibus aethereum
conscendit Gudila regnum,
Hic Christo famulans,
illic secum modo regnans.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem caelorum
Voces collaudent cunctorum,
Qui Gudilam benignam
Caelestium mansionum
Fecit esse dignam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. His festis mundus
iubili sit honore iucundus,
Collaudans Gudilam
claris natalibus ortam.

2. Angelus egregium
praedixit virginis ortum
Tanto praeclarum,
saeculis quantum antea rarum.

3. Haec igitur teneros
consumpsit virtutibus annos,
Reddens vota Deo
redolentia cordis ab imo.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nocte sub obscura
fusa ad Dominum prece pura,
Caelitus accensa
pergebat lampade laeta.

2. Ecclesias totis
venerabatur quoque votis,
Pectoris interna
facie cernendo superna.

3. O pia virgo, tuis
confer suffragia servis,
Ut tibi devoti
sint et in aethere noti.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gudila, virgo Dei,
caelestis iura triumphi
Semper habens animo
Christum servabat in imo.

2. Pauperibus mensas
Praebens velut altera Dorcas,
Ipsis concessit,
quaecunque potissima gessit.

3. Rex pie caelorum,
nunc suscipe vota tuorum
Et precibus Gudilae
delicta nocentia dele.

Brev. ms. Zutphaniense saec. 15. Cod. Bollandian. s. n. A. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. B. — Propr. S. Iohannis Boscoducen. imp. Antwerpiae s. a. C. — Alle im Vorstehenden fehlenden Teile sind in Reimprosa abgefaſst. A hat in 1. Vesp. nur 1. prosaische A ad Magn. — Hiezu der Hymnus: Exsultet vox ecclesiae, Anal. XII, 128.

28. De sancta Hedwige.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Lactare Germania
Quae de stirpe regia
Meraniae ducis
Ortus ab infantia
Dignam Dei gratia
Hedwigem producis;
Quam, Christe, cum gloria
Mundi post exsilia
Ad gaudia ducis
Perpetuae lucis.

2. Hedwigis pietate clara
tibi persolvimus debita laudis,
Tu solita clementia
auge devotionis incrementa.

3. Tibi rite psallimus,
Tibi laudes referimus,
Ex debito
Quia, quotiens premimur
Miseriis, in te nobis
Fidelis patet recursus.

4. Solaris dum volvitur orbita
Votiva recurrunt festa,
In quibus et Domini
Recitantur magnalia
Et Hedwigis
Retractantur merita.

5. Hodiernae sollemnitatis gaudia,
Quae anni reduxit orbita,
Pia recolamus devotione
Beatae Hedwigis
Utentes famulamine.

Ad Magnificat.

A. O decus Trebniciae,
Hedwigis, mater gratiae,
Concivis militiae
Caelestis patriae,
Tribue credentibus
Solamen tuis precibus,
Et da frui laudibus
Cum caeli patribus
Tu tot signis radians,
In te plebs fidelis glorians
Totius Silesiae,
Digna memoriae,
Asta tuis posteris,
Mater Hedwigis humilis,
Nobis petens veniam
Et caeli gloriam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus in saecula
regem saeculorum,
Qui beatam Hedwigem,
matrem orphanorum,
Coaequavit
meritis sanctorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Biduano ieiunio
carne macerata
Mittebat egentibus
quaeque delicata.

2. Nil relinquens praeter victum
Ex suis proventibus,
Vilem deferens amictum
Servit pauper pauperibus.

3. Gaudebat dapis munere
Egenos reficere,
Quia Christum in paupere
Se sciebat suscipere.

Responsoria.

1. Hedwigis, stirpe nobilis
Omnibusque spectabilis
Omni virtutum genere,
Corde mitis et humilis,
Aetate, sexu fragilis,
Fide fortis et opere,
V. Christo fuit amabilis,
Ad omne bonum habilis,
Dei praeventa munere.

2. Manum mittit ad fortia
Virtutum exercitia,
Haec comprehendit dulciter.
Consurgens nocte media
Orationum studia
Deo solvebat iugiter,
V. Clam intrat domicilia,
Dans infirmis obsequia
Et leprosis pocula.

3. Margarita solo tecta,
Quondam vilis et despecta
Ista Dei famula,
Gemma lucens ut electa
Carnis nube iam detecta
Fulgens per miracula.
V. In sublime stans erecta
Caelum tendit via recta
Velut fumi virgula.

Prosa.

1. Haec caeli feliciter
Adepta gratia
Fideli fideliter
Mundi fallacia

2. Corde renuit, regia
Mater haec egregia
Sordes saecli fluctibundi,
Non constantis sed immundi.

3. Huius genetrix
Est Germania,
Eius alitrix
Est Polonia.

4. Hedwigis,
haec sancta vidua,
Nos prece
locet assidua.

5. Sibi devotos
in caeli patria,
Ubi residet
perpetua cum laetitia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nivis in algoribus
Incedens nudis gressibus
Christum insequendo,
Leprosis et debilibus
Eleemosynas tribuendo.

2. Mutato vultus pallio
clam carceres visitabat
Et reis cibum
cum potu ministrabat
Et damnatos saepius
suspendio liberabat.

3. Circuibat sedula
Cellas dominarum,
Ut videret aemula
Statum singularum
Et serviret vernula
Questibus earum.

Responsoria.

1. Quae dum oraret sedulo
Lumen in habitaculo
Super eam diffunditur;
Hinc Mariae Magdalenae,
Margaretae, Katharinae
Visu, sermone fruitur;
V. En, inquiunt, post obitus
Dies caelestis aditus
Tibi nobiscum panditur.

2. O vitis Cypri nobilis
Ferendo botros uberes,
Hedwigis, mater humilis,
Pie pascendo pauperes,
Tua virtus laudabilis
Nos Christo reddat habiles,
V. Ut expiati sordibus
Adornemur virtutibus,
Per te caeli
iungamur patribus.

3. Aegypti nuda pallio,
Ornata cultu regio,
Filia Pharaonis
Per ascensum purpureum
Ad thronum regis aureum
Pervenit Salomonis,
V. Hedwigis tradens spiritum
Felicem agens exitum
De terra Babylonis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dictis evangelicis
aurem impendebat
Et, quotquot dici poterant,
missas audiebat.

2. Cum se iudex poneret
causas iudicando,
Haec adesse voluit
fraudes removendo,
Pupillos et viduas
pie defendendo.

3. Hedwigis sancta, inclita,
nos serves a ruina

Nosque frui facias
gratia divina.

Responsoria.

1. O quam felix Hedwigis,
quae regnum mundi
Et omnem ornatum saeculi
Contempsit propter amorem
Domini Iesu Christi,
Currens finem ad beatum
Sanctae vitae caelibatum
Anhelabat sitiens;
V. Signum crucis mente gerens,
Siti, fame se adfligens,
Passionis Christi
memor forens.
2. Haec in carne generosa
Mortis Christi pretiosa
Stigmata portavit,
Nunquam fuit otiosa,
Sed mens eius studiosa
Legit semper aut oravit,
V. Manus eius operosa
Caelum sibi copiosa
Cum mercede comparavit.
3. Sancta Hedwigis inclita,
Quae fuit in spiritu
caritatis fervida,
In laude orationum sedula,
Ipsa intercedere dignetur
Ad Iesum Christum Dominum,
Regem angelorum.
V. Malens se subicere paupertati,
Quam propter gloriam huius
mundi
Esse immemor
praeceptorum Dei,
Sitivit enim gloriam
Dei et oravit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hedwigis Dei laudibus
Diebus atque noctibus
Iugiter vacabat
Proque persecutoribus
Profusis gemitibus
Deum exorabat.
2. Iubilate Deo omnis terra,
Quia Christo ista famula
Conregnat super aethera,
Cui laus et gloria
Per infinita saecula.
3. O felix et beata,
Iam a Christo sublimata,
Virgini Mariae sociata,
In caelesti curia coronata,
Nos post hoc exsilium
Fac habere caeli gaudium.
4. Benedicite, spiritus
et animae iustorum,
Quia Dei filius,
largitor bonorum,
Deduxit famulam Hedwigem
ad gaudia caelorum.
5. Laudate Dominum de caelis,
In quibus Hedwigis fidelis
Gaudet cum Domino
Regnans sine termino.

Ad Benedictus.

A. Virtutum exercitio
Longoque confecta senio
Hedwigis beata
Transcenso mortis stadio,
Carnis disrupto vinculo
Caeli potitur praemio
Dei conregnans filio,
Cui laus sit et gloria
Per infinita saecula.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O mira Dei bonitas,
Qua mutatur sublimitas
In beata Hedwige,
Cui mundana prosperitas
Ac principatus dignitas
Prorsus viluere,

In qua iugis humilitas,
Victus et vestis vilitas
Modum excessere,

Quam fides, spes et caritas
Et Christi fecit pietas
Caelum possidere.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8 A. — Brev. ms. Plagense anni 1499. Cod. Plagen. s. n. B. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Altovaden. 23. C. — Brev. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Capit. Cracovien. 21. D. — Brev. ms. S. Mariae Gedanen. saec. 15. Cod. Bibl. OO. SS. Fol. 218. E. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Vatican. 4751. F. — Brev. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 246. G. — Brev. ms. Saganense anni 1481. Cod. Wratislavien. I Q 250. H. — Brev. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 247. I. — Cod. Palat. Vindobonen. 1795. anni 1473. J. — Brev. Lubucense imp. s. l. et a. K. — Brev. Wratislaviense imp. s. l. et a. L. — Viatic. Wratislavien. imp. Venetiis 1499. M. — Brev. Plocense imp. 15** N. — Brev. sec. Notulam et ritum Dominorum Teutonicorum imp. 1500. O.

In 1. Vesp. Super Ps. **A** 2 A qua de BCD. — Einige Quellen (z. B. AD) haben nur 1 **A** Super Ps., die erste, andere (z. B. K) beginnen mit der **A** ad Magn. — Ad. Magn. **A**, 3 Consors D. — Ibid. 7 und 8 fehlen D. — Ibid. 9 Cum tot C. — Ibid. 11 Poloniae ABCD. — Invit. 6 meritis beatorum BC. — In 1. Noct. **A** 1, 3 regentibus B. — **A** 2, 4 Luit pauper C. — **R** 1, 1 Beata Hedwigis AJ. — **R** 2, 3 Haec beata comprehendit B, reprehendit C, apprehendit D; dulciter fehlt D. — **R** 2, 7 intra C. — **R** 3, 1 sole B. — **R** 3, 8 ad coelum BC. — **R** 3 Ex nobili stirpe nata etc. (Vgl. d. folgende Offic.) A. — Die Prosa nur in J. — In 2. Noct. **A** 2, 4 et portum B. — **R** 1, 8 Die B, diem D. — **R** 1, 9 panderetur B. — In 3. Noct. **A** 1, 3 Et quidquid D, Et fehlt C. — **R** 2, 9 paravit B. — **R** 3, 6 Christum fehlt CD. — **R** 3, 10 Esset CD. — In Laud. **A** 3, 2 Iam fehlt B. — **A** 4, 5 Benedixit famulam J. — Zum Officium gehört der Hymnus Exsultent hodie iugiter omnium (Morel 240); A hat 3 Hymnen, den obigen und Anal. IV Nr. 269 und 271.

29. In Translatione s. Hedwigis.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Mundo festus instat dies,
Quo Hedwigi datur quies
Et gloria
In caelesti patria,
Cuius dignis precibus
Nobis peccatoribus
Veniam,
Iustis quoque gratiam
Summe pius
Donet Dei filius.

Ad Magnificat.

A. Respexisti, Domine,
Humilem ancillam
In sanctorum lumine
Pie locans illam,
Fac nos eius precibus
Cum tuis fidelibus
Coronari gloria
In superna patria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Assunt sollemnia
Hedwigis beatae,
Canat ecclesia
Cum iucunditate.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

I. Aevo puellari
Hedwigis addita

Christo famulari
Didicit in vita.

2. Nobilis haec natu
Ac virtute placuit,
Nam mentis ornatu
Plus quam iuste claruit.

3. Literali studio
Adhibet ingenium,
Et tali solacio
Crevit mentis gaudium.

Responsoria.

1. Gaude prole tali nata
Ex te, o Merania,
Laude cuius honorata
Iubilat Silesia,
Haec est Hedwigis beata
Refulgens per prodigia.

V. *Mulierem fortem quis invenient? procul et de ultimis finibus pretium eius.*

2. Signum refulget in caelo,
Mulier amicto velo
Radii solaris,
Coronata sideribus
Lunam subiecit pedibus
Laudis temporalis.

V. *Cui Christus vivere erat et mori lucrum.*

3. Ex nobili stirpe nata,
Moribus nobilior,
Calcans mundi delicata,
Te ipsa sublimior
Et iam Christo copulata
Gaudes sole pulchrior.

V. *O quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!*

2. Unius viri relicta
Carnalia sprevit,
Vere valde benedicta
Hostem nece stravit.

3. Mulieris fortitudo
Lumbos est constringere,
Quam Hedwigis mansuetudo
Meruit adcingere.

Responsoria.

1. Via vitae salutaris
Facta est haec viduis,
Quam virtutibus praeclaris,
Alme Deus, instruis,
Fac nos eius precibus
In sanctorum sedibus
Locari perpetuis,

V. *Qui coronas eam in miserationibus et reples in bonis animam eius.*

2. Orta stirpe regia
Fertur ad humilia,
Ut sit in exemplum,
Quare plena gratia
Refulgens per omnia
Christo fit in templum,

V. *Ut haec erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Deum valde.*

3. Felix illa femina
Lacrimarum flumina
Orans profundebat,
Vincens quaeque crimina
Semper mentis lumina
Sursum dirigebat;

V. *Adcinxit fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tandem virgo traditur
Thoro nuptiali,
Nec mens casta plectitur
In copula tali.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Auro pretiosior
Hedwigis est caritas
Argentoque clarior
Vidualis castitas.

2. Carne demum exuitur
Felix ille spiritus,
Et in vitam convertitur
Flebilis interitus.

3. Thesaurus, qui latuit
Humo coopertus,
Signis certis patuit
Atque est repertus.

Responsoria.

1. Corpus eius squalidum
Erat, dum vivebat,
Sed in morte nitidum
Ut lac apparebat,
Et eius ab ore
Insolito more
Odor erumpebat.
V. *Pulchritudinem candoris eius admirabatur oculus, et super imbrem eius expavescit cor.*

2. Os de gutture anxio
Signo crucis expulit
Et sanavit, quos passio
Paralysis perculit,
Claudis gressum,
caecis visum reparat,
Et mortui suscitantur
Ipsius auxilio.
V. *Bene omnia fecit, surdos fecit audire et mutos loqui.*

3. Sit laus Dei filio
In sollemni praemio
Hedwigis beatae,
Cuius interventio
Sit nostra tuitio
In adversitate.
V. *Astitit regina a dexteris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hedwigis Dei laudibus
Diebus atque noctibus
Iugiter vacabat
Proque pereuntibus
Profusis gemitibus
Deum exorabat.

2. Adest dies laetitiae
Lucens Christi familiae
A virtutum lumine
Sanctissimae feminae.

3. O lampas ecclesiae
Lucens Dei gratia,
Vas misericordiae,
Dele nostra vitia.

4. Haec est Hedwigis beata,
Cuius vitae fama grata
Clarior sideribus
Lucet in operibus.

5. Amicta sole femina
Hedwigis est haec domina,
Quam Christus iam decoravit
Et in caelo coronavit.

Ad Benedictus.

A. Fulget in orbe dies
hodie celeberrima toto,
Gaudia millesies
repetamus supplici voto.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, solum Slesiae
Nam tua colona,
Hedwigis, decus Trebniciae,
Nobilis matrona,
Facta caelestis patriae
Civis et patrona
Transit ad culmen gloriae
Regni cum corona.

Brev. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 89. A. — Brev. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 246. B. — Brev. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 249. C. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 2 Ancillam humilem B. In 1. Noct. **A** 2, 2 A virtute B. — **R** 1, 4 instuis.

30. De sancta Hedwige.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Fulget in orbe dies
hodie celeberrima toto,
Gaudia millesies
repetamus supplici voto.

2. Lux celebris micat in tenebris
dulcedine plena,
Ecclesiae fulget hodie
matrona serena.

3. Digna fide, domina, tibi de
meritis meritorum
Rex hodie dat regna pie
super astra polorum.

4. Hedwigis celebris,
cuius clarissima crebris
Fama nitet signis,
omni modulamine dignis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, solum Silesiae,
Nam tua colona,
Hedwigis, decus Trebniciae,
Nobilis matrona,
Facta caelestis patriae
Civis et patrona,
Transit ad culmen gloriae
Regni cum corona.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Assunt sollemnia
Hedwigis beatae,
Canat ecclesia
Cum iucunditate.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex praeclaro conubio
Nata ducis Meraniae,
Copulatur coniugio
Heinrico, duci Slesiae.

2. Potita matrimonio
Prole dotatur nobili,
Sed castitatis optio
Voto manet immobili.

3. Christianis cultibus
Prolem mancipatam
Sub honestis moribus
Servat educatam.

4. Mundanis honoribus
Finem volens dare,
Haec ad vitam caelibem
Coepit anhelare.

5. A lege thori libera
Viri de consensu
Virtutum agit opera
Cordis in ascensu.

6. Dictis evangelicis
Aurem impendebat,
Quotquot dici poterant,
Missas audiebat.

Responsoria.

1. Gaude, prole tali nata
Ex te, o Merania,
Laude cuius honorata
Iubilat Silesia,
Haec est Hedwigis beata
Refulgens per prodigia.

V. *Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium eius.*

2. Signum refulget in caelo,
Mulier amicta velo
Radii solaris,
Coronata sideribus,
Lunam subiecit pedibus
Laudis temporalis.

V. *Cui Christus vivere erat et mori lucrum.*

3. Ex nobili stirpe nata,
Moribus nobilior,
Calcans mundi delicata,
Te ipsa sublimior,

Et iam Christo copulata
Gaudes sole pulchrior.

V. *O quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!*

4. Hedwigis, mater pauperum,
Hoc praeponens divitiis
Vere forma fit operum
Et inimica vitiis.

V. *Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Biduano ieiunio
carne macerata,
Mittebat egentibus
quaeque delicata.

2. Nil relinquens praeter victum
Ex suis proventibus,
Vilem deferens amictum
Servit pauper pauperibus.

3. Gaudebat dapis munere
Hos et illos reficere,
Quia Christum in paupere
Se credebat suscipere.

4. Nivis in algoribus
Nuda nudis gressibus
Nudum Christum sequitur,
Infirmis debilibus
Et plenis ulceribus
Leprosis obsequitur.

5. Mutato vultus pallio
Clam visitabat carceres,
Adflictas matres puerperio
Consolatur pauperes.

6. Circuibat sedula
Cellas dominarum,
Ut videret aemula
Statum singularum
Et serviret vernula
Questibus earum.

Responsoria.

1. Manus beatae Hedwigis
Laboribus ex sinceris
Murram distillant optimam,
Murra stillat de manibus,
Dum dispersit pauperibus
Et dedit elemosynam;

V. Preces quoque cum lacrimis
Deo fundens ab intimis
Cordis libavit hostiam.

2. Margarita solo tecta,
Quondam vilis et despecta,
Ista Dei famula,
Gemma lucens ut electa,
Carnis nube iam detecta
Fulget per miracula,

V. In sublime stans erecta
Caelum tendit via recta
Velut fumi virgula.

3. Aegypti nuda pallio,
Ornata cultu regio
Filia Pharaonis
Per ascensum purpureum
Ad thronum regis aureum
Pervenit Salomonis,

V. Hedwigis tradens spiritum
Felicem agens exitum
De terra Babylonis.

4. Audi, mater orphanorum,
Gemitus orantium,
Esto solamen reorum
Ac tutum refugium,
Per te Christus peccatorum
Vincla solvat omnium.

V. *Nunc ergo ora pro nobis Dominum, quoniam tu mulier sancta es et timens Deum.*

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Mundo festus instat dies,
Quo Hedwigi datur quies
Et gloria
In caelesti patria,
Cuius dignis precibus

Nobis peccatoribus
Veniam,
Iustis quoque gratiam
Summe pius
Donet dei filius.

Responsoria.

1. Quae dum oraret sedulo,
Lumen in habitaculo
Super eam difunditur,
Hinc Mariae Magdalenae
Margaretae, Katharinae
Visu, sermone fruitur.
V. En, inquiunt, post obitus
Dies caelestis aditus
Tibi nobiscum panditur.

2. Felix illa femina,
Lacrimarum flumina
Orans profundebat,
Vincens quaeque crimina
Semper mentis lumina
Sursum dirigebat;
V. *Adcinxit fortitudine lumbos suos et roboravit brachium suum.*

3. Orta stirpe regia
Fertur ad humilia,
Ut sit in exemplum,
Quare plena gratia
Refulgens per omnia
Christo fit in templum;
V. *Ut haec erat in omnibus famosissima, quoniam timebat Deum valde.*

4. Sit laus Dei filio
In sollemni praemio
Hedwigis beatae,
Cuius interventio
Sit nostra tuitio
In adversitate.
V. *Astitit regina a dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Hedwigis Dei laudibus
Diebus atque noctibus
Iugiter vacabat
Proque pereuntibus
Profusis gemitibus
Deum exorabat.

Ad Benedictus.

A. Alma pupillorum
mater, per climata mundi
Stella micans et labe carens,
depelle reatum,
Stigmataque portans Domini
tu quae voluisti
Tot poenis insigne tuum
corpus macerare,
Plaude satis, quod visceribus
patienter amasti
Ferre iugum Christi,
regnum caeli meruisti.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Adest dies laetitiae,
Lucens Christi familiae
A virtutum lumine
Sanctissimae feminae.

Ad Tertiam.

A. O lampas ecclesiae,
Lucens Dei gratia,
Vas misericordiae,
Dele nostra vitia.

Ad Sextam.

A. Haec est Hedwigis beata,
Cuius vitae fama grata
Clarior sideribus
Lucet ex operibus.

Ad Nonam.

A. Amicta sole femina
Hedwigis est haec domina,

Quam Christus iam decoravit
Et in caelo coronavit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Glorietur in hac die
Iugiter Silesia,
Sonent laudum melodiae
Cordis ex laetitia,
Alleluia
Consonet ecclesia,
Nam Hedwigis hinc transivit,
Sed cum Christo semper vivit,
Alleluia
Consonet ecclesia;
Vallis Trebniciae iucundetur,
Clerus psallat, plebs laetetur,
Alleluia
Consonet ecclesia;
Miserere miserorum,
Deo digna, et tuorum
Esto memor memorum,
Alleluia
Consonet ecclesia.

Brev. ms. Altovadense saec. 14. Cod. Altovaden. LII. A. — Antiph. ms. Cisterciense (?) saec. 14. Cod. Mus. Franciscei Brunen. 433. B. — Brev. ms. Cisterciense (?) saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 1868. C. — Brev. ms. Benedictin. Cracovien. (?) anni 1406. Cod. Berolinen. IV° 149. D. — Brev. ms. Henrichoviense saec. 14. Cod. Wratislavien. I Q 244. E. — Brev. ms. Trebnicense saec. 15. Cod. Wratislavien. I O 94. F. — Antiph. ms. Henrichoviense saec. 15. Cod. Wratislavien. I F. 397. G. — Brev. ms. Camencense saec. 15. Cod. Wratislavien. Q 245. H. — Brev. ms. Henrichoviense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 244. I.

In 1. Noct. **R** 1 und 3 lauten in D:

R. 1. Felix igitur Hedwigis
Ab annis infantiae
Voto continentiae
Semper inspirata
Nupsit duci Slesiae
Dei providentiae
Nutu copulata.
V. Haec non voluntarie
Sed oboedientiae
Parens desponsata.

3. Beata Hedwigis
Annos agens pubertatis
Zona castitatis
Lumbos coepit accingere
Cor amore puritatis
Et ad petram veritatis
Parvulos allidere,
V. Liberisque generatis
Sensus fluxae voluptatis
Orabat restringere.

R, 4 Sit laus Dei filio etc. D. — In 2. Noct. **A** 6, 3 sq fehlen D. — **A** 6, 5 sq. fehlen A. — **R** 2, 1 sole tecta A. — **R** 2, 4 et fehlt A. — **R**, 4 Hedwigis stirpe nobilis etc. (Vgl. das Offic. Laetare Germania 1. Noct. **R** 1) D. — In 3. Noct. ad Cant. **A** prosaisch D. — **R** 1 Corpus eius squalidum (vgl. das Offic. In Translatione 3 Noct. **R** 1) D. — **R** 2 Haec in carne generosa (vgl. Offic.: Laetare 3. Noct. **R** 2) D. — **R** 3 Manum mittens ad fortia (ibid. 1 Noct. **R** 2) D. — In Laud. **A** 2 Haec est Hedwigis beata (cfr. ad Sextam) D; **AA** 3—5 prosaisch D. — Ad Bened. **A** in D:

O viduarum speculum
Et devotum spectaculum
Caritatis, castitis et largitatis
Et totius gratiae
Quare, digna praemio,
Tuo patrocinio
Fac, ut digni solio
Simus caeli gloriae.

Ibid. 12 caeli fehlt A. — **AA** per Horas fehlen D. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** lautet in D:

Hodiernae sollemnitatis gaudia,
Quae nobis anni reduxit orbita,
Pia recolamus devotione
Beatae Hedwigis utentes famulamine

An dieser Stelle schaltet B noch die folgenden AA „ad utrasque Vesperas et ad Laudes“ ein:

1. Congaudeat ecclesia
Hedwigi claris vocibus,
Quam coronavit gloria
Christus in caeli sedibus.

2. In exemplum est posita
Nobilibus haec nobilis,
Nam univit seposita
Facta dives et humilis.

3. Haec temperatis moribus
Nec non placidis exstitit,
Valde larga pauperibus
Voluptatibus restitit.

4. Utens perpaucis poculis
Fastus corporis mitigat
Et sursum cordis oculis
Tensis docet, quem diligat.

5. Vita, mores, miracula
Excellensque devotio
Pro Christi clamat famula,
Quod sit cum Dei filio.

6. Praesta, Deus, petentibus
Per Hedwigis suffragia,
Ut in eorum mentibus
Tua non desit gratia.

Dies ist der Anal. IV, Nr. 266 mitgeteilte Hymnus. Noch ist zu bemerken, dafs D in der 1. und 2. Nocturn sämtliche AA dem Offic. Laetare Germania entlehnt mit Ausnahme der letzten, sowie dafs das ganze Officium sich der Hauptsache nach aus Entlehnungen aus den beiden vorhergehenden Historiae zusammensetzt. — Hymnen in 1. Vesp.: Congaudeat ecclesia (Anal. IV. 146); ad Complet.: Te decet hymnus gloriae (Ibid. 150); ad Noct.: Laudis tantae praeconia (Ibid. 149); Ad Tertiam: Exsultent hodie iugiter omnium (Morel 240).

31. De sancta Helena.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O clemens Helena,
tibi sunt data gaudia plena.

2. O clemens Helena,
iam [sede] sedes in amoena.

3. O clemens Helena,
te gens collaudat egena.

4. Fac, clemens Helena,
quod cesset debita poena.

5. O clemens Helena,
nos duc ad regna serena.

Ad Magnificat.

A. Salve, decus patriae,
Martyr Deo grata,
Ad laudem Westgotiae
Caelitus donata,
Coram rege gloriae
Digne iam locata,
Esto regni Sueciae
Mitis advocata.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Assunt nobis (sanctae)
Helenae sollemnia,
Virgo mater
iubilet ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Postquam hiems transiit
Infidelitatis,
In hac terra prodiit
Rosa venustatis.

2. Stella novae gratiae
Novae claritatis
Illuxit Westgotiae
Signis demonstratis.

3. Postquam fides patriae
Fines illustravit,
Stella mirae gratiae
Statim radiavit.

Responsoria.

1. Laetare fidelium
Contio devota,
Novum fac tripudium
Natio Westgota,
Helenae martyrium
Laudet mundi rota,
V. Cuius per mundum
clarent miracula nota.

2. Haec est Iudith similis
Vitae sanctitate,
Hesther non dissimilis
Vultus venustate,
Verbis, factis humilis,
Ardens caritate,
V. Lucens lucerna
per terrae climata late.

3. Carnalis conubii
Vinculo soluta,
A labe contagii
Carnis impolluta,
Quasi monasterii
Iugo substituta,
V. Est sanctas viduas
sancte vivendo secuta.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec est Iudith vidua,
Victrix Holofernis,
In certando strenua,
Dedita supernis.

2. Ministris ecclesiae
Sedule servivit,
Egenos cotidie
Pavit et vestivit.

3. Plane probat meritum
Matris huius piae,
Nam ut Oldan spiritum
Gessit prophetiae.

Responsoria.

1. Offert se discrimini
Viarum perfecta,
Ad sepulcrum Domini
Peregre profecta,
Ipsius examini
Committens obiecta,
V. Non cedens homini
constans redit ad sua tecta.

2. Helenae de patria
Sancta revertenti
Fraudis conflant odia
Fraudibus intenti,
Sola de malitia
Nocent innocenti,
V. Nil obsunt animae
caelestia regna petenti.

3. Peracta feliciter
Hora passionis
Gaudet aeternaliter
Caeli digna thronis,
Fragrat odor dulciter
Ex unguenti donis,
V. Clarent prodigia
sua per fines regionis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec est Anna sobria
Mater Samuelis
Patiensque filia
Sara Raguelis.

2. Abigail sapiens
In ea revixit,
Deboraque praesciens
Quae futura dixit.

3. Legis Dei studio
Fuit ut Susanna,
Mentis desiderio
Phanuelis Anna.

Responsoria.

1. Oliva dum premitur,
Dulcor eliquatur,
Uva calce tunditur,
Ut vinum fundatur,
Palea concutitur,
Ut granum legatur.

V. Helena dum patitur,
animae caelum reseratur.

2. In caeli rosario
Poni rubens rosa
Meruit martyrio
Martyr gloriosa,
Cuius intercessio
Quam sit virtuosa,
V. Hoc patet indicio,
quod curat membra leprosa.

3. Audi, clemens domina,
Preces tuae gentis,
Gaudens inter agmina
Curiae gaudentis,
Sis inter discrimina
Vitae dux praesentis,
V. Quae fueras solita
gemitus relevare dolentis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ad novum praeconium
Martyris adcedit,
Quod vir vibrans gladium
Ferit et non laedit.

2. Mira lux emicuit
Caelitus in dumo,
Ostendens, quo iacuit
Digitus in humo.

3. Caecus tangens digitum
Martyris abscisum
Mox per eius meritum
Est adeptus visum.

4. Miram fidem habuit
Ut granum sinapis,
Quod probat et innuit
Elevatus lapis.

5. Claudis gressum tribuit
Et surdis auditum,
Caecis lumen praebuit
Devote petitum.

Ad Benedictus.

A. O beata domina,
Digne sublimata,
Audi pie carmina
Tibi decantata,
Tua per precamina
Diluens peccata
Duc ad caeli limina
Nos desiderata.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vale, flos Westgotiae,
Patriae lucerna,
In via iustitiae
Devios guberna,
De valle miseriae
Nos duc ad superna,
Ut tecum in requie
Vivamus aeterna.

Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. — In 1. Vesp. hymnus: Felix parens Westgotia (Klemming I, 116); in Laud.: Adest triumphus nobilis (ibid. 122). Verfasser des Officiums ist Brynolphus I, Bischof von Scara (1278—1317); vgl. Klemming l. c.; Acta SS. Feb. I, 935; Anal. hymn. XXV, 184, wo es im Officium des hl. Brinolphus heifst:

Helenam sanctam viduam,
Quam praesul invocavit,
Historiam per congruam
Decenter honoravit.

32. De sancto Henrico.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, coetus fidelium,
Henrici natalitium
Laetis extollens canticis,
Qui intravit in gaudium
Per insigne martyrium
Choris insertus caelicis.

2. Ornamentis decoratus
Virtutum vir inclitus
Upsalensis praesulatus
Plebem rexit primitus.

3 Sanctus Ericus dulciter
Rex praesulem dilexit,
Quem Domino fideliter
Ministrare conspexit.

4. O quam felix, ecclesia,
Hoc patre spiritali,
Quam felix eras, Suecia,
Regi subiecta tali.

5. Hos patronos pariter
Laeti veneremur,
Ut cum his perenniter
In caelis collaetemur.

Ad Magnificat.

A. Gloriosum pontificem
Henricum, post multiplicem
Virtutem, qua refloruit,
Per mortem, quam stustinuit
Victorem vexit hodie
Christus in templum gloriae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus in Henrici
Sacro natalitio,
In quo laudes Deo dici
Condecet in gaudio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctum Ericum comitans
Sanctus praesul Finlandiam
Adivit, illic militans
Bonam Christi militiam.

2. Doctrinam evangelicam
Annuntians gentilibus,
Patenter viam caelicam
Demonstrabat errantibus.

3. Ut Christo lucrifaciat
Gentes idolatrantes,
Non timet, ne inveniat
Multos se tribulantes.

Responsoria.

1. Omnes gentes iubilate,
Deo caeli exsultate,
Gaudeat Finlandia,
Laeti Deum collaudate
Et Henrici celebrate
Laeta natalitia.
V. Hic effulsit honestate
Morum, verbi veritate
Vitae sanctimonia.

2. Sanctus cuiusdam impii
Redarguit saevitiam,
Ut reus homicidii
Subiret paenitentiam
Et paenitens flagitii
Consequeretur veniam,
V. Qui salubris remedii
Sprevit infelix gratiam.

3. Impaenitens malitiae
Vir sanguinum ecclesiae
Despecta disciplina
In ministrum iustitiae
Ferox furit et rabie
Occidit hunc ferina;
V. Sic cum palma victoriae
Praesul intravit hodie
Palatia divina.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pastor bonus veraciter
Curam gregis dominici
Gessit perfectibiliter
In labore multiplici.

2. Affectu devotissimo
Crebra cum instantia
Offerebat altissimo
Precum sacrificia.

3. Suum Deus exaudivit
Devotum precatorem

Et a malis custodivit
Suum verum cultorem.

Responsoria.

1. Birretum patris incliti
Occisor suo capiti
Protervus imponebat,
Quod dum vellet amovere,
Carnes illi cohaesere
Et eas amovebat;
V. Ursus, quem se prostravisse
Retulit et peremisse,
Sic eum remordebat.
2. Annulum et digitum
Longe diu post obitum
Insignis viri Dei
Ostendit avicula
Iacentem in particula
Cuiusdam glaciei;
V. Dum sacrae reliquiae
Iacuerunt in glacie,
Calor non nocet ei.
3. Imitator salvatoris
Vigilanter populis
Veram fidem creatoris
Praedicans incredulis,
Ut praeclari sol fulgoris
Lucem dedit saeculis.
V. Glorioso iam laboris
Fructu gaudet et honoris
Insignitur titulis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum lucri magnitudine
Servus fidelis gratiae
Reddens data talenta,
In pacis pulchritudine
Collocatur et requie
Potitur opulenta.
2. Perfecte desiderium
Sui cordis adeptus,
Ad caelos per martyrium
Migrat malis ereptus.
3. Servum pater familias
Inventum vigilantem
Ad aeternas delicias
Induxit triumphantem.

Responsoria.

1. Praeclari patris sanctitas
Doctrinam fructuosam
Vitaeque virtuositas
Reddebat gratiosam
Et mortem monstrat claritas
Signorum pretiosam,
V. Nunc praestat illi deitas
Coronam gloriosam.
2. O vita commendabilis,
O mors desiderabilis,
Propter quae venerabilis
Hic pontifex fit similis
In gloria sanctorum,
V. Commenda nos, amabilis
Pater et honorabilis
Martyr, rego caelorum.
3. Martyr iste militavit
Christo, per quem triumphavit,
Triumphando reportavit
Finem, pro quo desudavit
Coronam iustitiae;
V. Felix cursum consummavit,
Qui pro fide, quam servavit,
Fulget stola gloriae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Multitudo languentium
Restituta saluti
Fidele testimonium
Dat martyris virtuti.
2. Longo dolore capitis
Frater Minor gravatus
Mox voto facto meritis
Est praesulis curatus.
3. Depulsa caligine
Longae caecitatis
Visum reddit feminae
Pater pietatis.

4. Fluctuum saevitie
Nautae conquassati
Sancti beneficia
Praedicant salvati.

5. Dum devotis poscitur
Precibus cupitam
Defunctis asseritur
Rediisse vitam.

Ad Benedictus.

A. Christi pugil eximius
Et pontifex egregius
In hac die caelestia
Triumphator ad gaudia
Introivit feliciter
Deo fruens perenniter.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christe, virtus pugnantium,
Corona triumphantium,
Nos praesens post exsilium
Henrici per suffragium
Perduc ad perpes gaudium,
Quo tecum semper omnium
Gaudet coetus fidelium.

Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493. — Hymnus in 1. Vesp.: Assunt festa celebria (Klemming I, 126); ad Noct.: Christi miles magnificus (ibid. 127); ad Laudes: Exsulta Sion filia (ibid. 133).

33. De sancto Hieronymo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Christicolarum lux
Dux, vas abstinentiae,
O scripturarum vigor
Rigor paenitentiae,
Eremitarum forma,
Norma continentiae
Sacerdos felicissime,
Lucens ardensque lucerna,
Hieronyme clarissime,
Nos tuere, nos guberna.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Voto, voce Dominum,
Venite, adoremus,
Vocantem Hieronymum
Ad astra collaudemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Literis Hebraicis
Graecis et Latinicis
Eruditus satis,
Insignitur moribus,
Fulcitur honoribus
Mirae dignitatis.

2. Cardinalis presbyter
Atque mirabiliter
Doctor divulgatur,
Summo sacerdotio
Populi devotio
Dignum hunc testatur.

3. Carnis dum spurcitias
Clerique malitias
Dure reprobavit.
Insanis invidiis,
Vesanis insidiis
Cedens exsulavit.

Responsoria.

1. Tractus ad tribunal iudicis,
Caesus flagellis tartaricis,
Sectis cassis Ciceronicis,
Dictis promittit veridicis
Verbis haerere Dominicis.

V. Mox dulcescit fulgidus
Scripturae sacrae vultus,
Cuius sermo rigidus
Horrebat ut incultus.

2. Speculator evangelicus
Montem scandit doctor mysticus,
Pugil fidei magnificus,
Felix conversator caelicus,
Divino gustu famelicus.
V. Ad atria superna
Hieronymus aspexit,
Quem caritas superna
Quam crebro sursum vexit.
3. Mundi splendor, Christi facula,
En, propinat vitae pocula,
Contra saevos tendit iacula
Per fidei propugnacula,
Purgans haeresis piacula.
V. Nam verbum veritatis
Hieronymus efflavit
Dogmaque falsitatis
Asperrime damnavit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iam deserti speciosa
Vernantius pinguescunt,
Arta, cruda dum spinosa
Hieronymo dulcescunt.
2. Ferarum non hominum
Hieronymo spectaculum,
Amarum ac horridum
Placebat habitaculum.
3. Dulcem pastum frutices
Arbustaque dederunt,
Aquam sibi latices
Potandam praebuerunt.

Responsoria.

1. Pannis raro libuit,
Coctum quid abhorruit
Doctor mente pura,
Mollis stratus viluit,
Nunquam vinum licuit
In hac vita dura,
Sibi nam displicuit
Omnis creatura;
V. Totum mentis oculum
In Christum plene fixit
Et amoris radium
Ad ipsum plane flexit.
2. Pelli consumptis carnibus
Totisque lassis viribus
Ossa cohaeserunt,
Usta solis ardoribus
Onustaque laboribus
Membra palluerunt,
Nec sanctum a rigoribus
Haec relaxaverunt.
V. Vasta solitudo
Hieronymum nutrivit,
Victus artitudo
Corpus exinanivit.
3. Ossa dum cute squalida
Operta tabescebant,
Complosione valida
Fragore strepebant,
Christique laudem pallida
Sic membra resonabant.
V. Uberrimis se lacrimis
Cotidie rigavit,
Acerrimis iciuniis
Se sanctus maceravit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Acta paenitentia
Bethlehem meavit
Et cum diligentia
Fratres adunavit.
2. Coepitque sincerius
Scripturis inhiare,
Carnem tunc uberius
Non cessans subiugare.
3. Corpus de Chaldaico
Simul et Hebraico
Transtulit scripturae
Sanctus hic Hieronymus,
Quem laudandum ponimus
Omni creaturae.

Responsoria.

1. Leo Deo disponente
Transit ad monasterium,
Caesus, laesus planta sente
Precatur adiutorium,
Hospes sospes fit repente
Per fratrum beneficium,
Paratus ad obsequia.
V. En, ad te confugiens
Te nostra mens implorat,
Cui leo rugiens
Oboedit et adorat.
2. Agonizat Christi miles
Miro pugnans certamine,
Perfidorum caeli heres
Diro pressus gravamine,
Falsum dogma Deo dives
Duro fugat certamine
Claro fultus dictamine.
V. Dum scripturis insudavit,
Doctor quantum laboravit,
Non lingua valet dicere,
Sed neque mens conicere.
3. Haec est arca testamenti,
Doctor legis et translator
Fidelis in officio,
Vivus lapis fundamenti,
Quem et mundi fabricator
Quadravit aedificio;
Tuo, fidei zelator,
Nos muni beneficio,
V. Ad te flentes suspiramus,
Pater sancte, pie, bone,
Supplices te flagitamus,
Magne doctor et patrone.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Psalle, mater ecclesia,
O psalle plena laude
Hieronymi sollemnia
Decantans et adplaude.
2. Rigat montes rore vitae
Totam terram satiante,
Huius vita coenobitae
Cum doctrina fecundante.
3. Haereticorum faciem
Velociter confundit,
Quorum ferocem aciem
Atrociter retundit.
4. Inter flagella corporis
Dat Christus dulce suavium,
Sed post duella temporis
Donat aeternum bravium.
5. Iucundare, plebs fidelis,
Nam doctor Christi gremio
Iam suscipitur in caelis
Celso ditatus praemio.

Ad Benedictus.

A. O lampas ecclesiae,
Iubar singulare,
Doctor sapientiae
Decusque salutare,
Inclite Hieronyme,
O doctor Deo care,
In lacu miseriae
Nos regere dignare.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Victor migrat laetabundus
Ad regnum post miserias
Christi mensus vestigia,
Quam beatus, quam iucundus
Intrat ad regni nuptias
Mira pandunt prodigia,
Eia, ergo totus mundus
Petat fundendo lacrimas
Tanti patris suffragia.

Brev. Traiectense imp. Gudae 1508. A. — Brev. Traiectense imp. Coloniae 1517. B. — Brev. S. Gudilae Bruxellen. imp. Parisiis 1516. C. — C hat in 1. Vesp. ad Magn. die folgende A:

O gloriose Hieronyme,
Doctor Christi eximie,

Qui in terris adhuc positus
Gloriam Dei intuitus,
Nam saepe angelorum
Choris interfuisti,
Nil sentiens de corporeis,
Sicut tu scripsisti;
Ergo, pater sancte,
Qui tanta meruisti cernere,
Precamur suppliciter,
Perduc nos illuc feliciter.

In 1. Noct. A 1, 2 Graecis et Latinis BC. — In 2. Noct. A 1, 2 Vernantis B. — R 1, 2 Coctum qui B.

34. De sancto Hieronymo.

In 1. Vesperis.

Ad Matutinum.

A. Ut Christo debitas
solvamus carminis odas,
Sit patrocinio,
quem dulci psallimus hymno,
Sanctus Ieronymus,
virtutum flore decorus,
Tamquam sol splendens
et desuper aethera tendens,
Migrans e mundo,
vitiorum labe profundo,
Ad superos choros
divina laude sonoros.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Nunc hymnizemus
Christo, psalmis iubilemus
Viti, Ieronymo
sociemur in aethere summo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. O lampas ecclesiae
Et lumen solare,
Beate Ieronyme,
Pro nobis precare.

2. Te ex matris utero
Dominus collegit,
Clara de prosapia
Quam sibi elegit.

3. Lactare, ecclesia,
De tanto doctore,
Qui sua sapientia
Vestivit te decore.

4. Divina eloquia
Ut speculum planavit,
In quo se Sion filia
Sponso praeparavit.

5. Eius eloquentia
Velut lacte lota
Est mater ecclesia
Vere pulchra tota.

6. Scripta eius relucent,
Velut tus in igne,
Nec effari sufficit
Quis eius laudes digne.

Responsoria.

1. Vita sancti splenduit
Ut stella matutina,
Quod donum ei contulit
Bonitas divina,
V. Lucens exemplo,
Ardens eloquio
Vita eius regularis
Ut fulgor lunaris.

2. Sicut arcus refulgens
Inter nebulas gloriae,
Sic sanctus Ieronymus
In corpore ecclesiae,
V. Quasi lilia, quae sunt
In transitu aquarum.

3. Quasi flos rosaram spirat
in vernis diebus,
Sic totus fraglat, quasi sit
conditus speciebus,
V. Sicut luna plena lucet
suis in diebus,
Ita vir laudabilis
omnibus in rebus.

4. Istius memoria
sicut favus mellis,
Opus pigmentarii
carens faece fellis.
V. *Immortalis est enim memoria illius.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae

1. Visio pulchritudinis
Vere nuncupatur,
Quod fama sui nominis
Clare protestatur.

2. Ut rosa patientiae
flagrat cum rubore,
Qui tanta sustinuit
Christi pro amore.

3. Candet quasi lilium
decore castitatis,
Ardet quasi calculus
fervore caritatis.

4. Coronatur merito,
digne coronatur,
Cuius vitae sanctitas
per mundum praedicatur.

5. Similis is factus est
in gloria sanctorum,
Qui errores dispulit
omnes haereticorum.

6. O mater ecclesia,
hunc pie amplexare,
Qui sic tuam gloriam
studuit dilatare.

Responsoria.

1. Qui erat sub nubilo,
tunc refulsit Phoebus,
Cum sanctus Ieronymus
velut Machabaeus
Contrivit Arianos
et omnes Manichaeos;
V. Praeter vitae meritum
dotemque virtutum
Hunc omni scientia
noveris imbutum.

2. O sanctitatis speculum
et gloria doctorum,
Consolator pauperum,
pater monachorum,
Qui interesse meruit
choris angelorum,
V. Institutor hic est morum,
Vera norma perfectorum.

3. O virum apostolicum
laude praeferendum,
Quemque vitae sanctitas
fecit reverendum,
Hunc precamur iudicem
nobis demulcendum.
V. Eius sapientia
Ecclesia fulcitur,
Sed modo praesentia
Caelum redimitur.

R. Praemiatur hodie
fides Mardochaei,
Cum doctor egregius
in conspectu Dei
Adductus inseritur
sanctorum aciei.
V. Afferuntur nunc annales
Veri regis aeternales
Ut ditet Ieronymum
Rex in perpetuum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. In aeternum Dominus
digne exaltavit,
Quem tantae sapientiae
munere dotavit.

Responsoria.

1. Omne, quod est pretiosum,
hic est contemplatus,
Et profunda fluviorum
vere perscrutatus,
Qui omnem sacram paginam
est interpretatus,
V. Sicut cataclismus
terram rigavit,
Sic donum pneumatis
hunc debriavit.

2. Cum esset hic presbyter
Romae cardinalis,
Nec in vitae merito
ei coaequalis,
Propter zelum disciplinae
oditur a malis;
V. Cumque summus pontifex
terrae commendatur,
Hic solus ab omnibus
dignus adclamatur.

3. Cumque summus pontifex
Romae est electus,
Instar Christi mundum sper-
nens
fit sibi despectus,
Ex quo summae theoriae
arcem est adeptus,
V. In scripturis transferendo
Laborans et exponendo.

4. Gloria sit Christo,
patri cum flamine sancto,
Quam decantari
simul ecclesiae iubilanti
Providus instituit,
qui caeli sidera scandit;
V. Sanctus Ieronymus,
divino munere fultus,
Hodie triumphat
Corona laureatus
Ad caelestia sublimatus.

In Laudibus.

Ad Cantica.

A. Laudes Deo referamus
die hodierna,
Qua regna Ieronymus
conscendit superna.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus
Deus Israelis,
Qui doctorem eximium
hodie in caelis
Coniunxit agminibus
civium sanctorum,
Ubi pie memorum
memor sit suorum,
Ne nos pro reatibus
scelerum nostrorum
Rex addicat iratus
poenis inferorum.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Mira sancti sanctitas
in hoc declaratur,
Quod ei crudelis leo
ut servus famulatur.

Ad Tertiam.

A. O virum ineffabilem,
mitem ac benignum,
Quem caelesti gloria
Deus fecit dignum.

Ad Sextam.

A. Fama sancti redolet
quasi flos rosarum,
Fraglat sicut balsamus
dono gratiarum.

Ad Nonam.

A. Istius consortio
Caeli gaudet regio,
Ecclesia rutilat,
Paradisus fraglat
Mundus aromatizat.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STU
ST. MICHAEL'S

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat te, Domine,
tuorum mens servorum,
Qui es vera gloria
et splendor iustorum,
Qui doctorem egregium
choris angelorum
Invexisti hodie
cum gaudio sanctorum,
Exaudi supplicantium
preces famulorum.

Brev. ms. Stirpinense 30. saec. 15.

35. De sancto Hieronymo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Iucundare Bethlehem,
Effrata beata,
Quae sursum es, Ierusalem,
Plaude, mater grata,
Nam doctor ineffabilis
Caelestis facetiae
Columnaque mirabilis
Totius ecclesiae,
Te lustrat Ieronymus
Prodigiis insuetis,
Decorat in fastigiis
Te gaudiis praelaetis.

2. Graecorum hic et Arabum,
Persarum, Chaldaeorum
Noverat potissimum
linguas, Hebraeorum,
Scivit quasi literas
cunctarum nationum,
Perfecte quoque studuit
artes liberales,
Tunc mundus non habuit
sibi coaequales.

3. Nota fecit populis
Utraque testamenta,
Angularis lapidis
Stravit fundamenta,
Ex Hebraea transfert ea
Linguam in Latinam,
Magnam curam ad scripturam
Habuit divinam.

4. Almus eum spiritus
Scripturis erudivit,
Et per eum Dominus
Ecclesiam sanxivit,
Et in tantum ceteros
Doctores transilivit,
Quod nescivit Ieronymus,
Natura nulla scivit.

5. Corde te, sanctissime
Rector veritatis,
Petimus humillime.
Subveni renatis,
Qui malleus haereticae
Fuisti pravitatis,
Te laudantes protege,
Iungito beatis.

Ad Magnificat.

A. O florens Dalmatia,
Quae germen vincens edidit,
Balsami dulcorem,
Dum doctorum facula,
Ieronymus, emicuit,
Veri fontis rorem
Infundens fidelibus,
Scribens, transferendo,
Non paucas rixas levibus
Verbis resecando;
Vastam tenens eremi
Bis annis laete binis,
Carnem quivit conteri
Inediis supinis,
Demum remeans Bethlehem
Bibliothecam summo
Studio compilavit;
Anhelans ad requiem
Aetatis octogesimo
Felix anno migravit.
Doctorum flos ex nomine,
Tuis opem supplicibus
Fer ad gaudiosa,

Pater dulcis Ieronyme,
Supernis apicibus
Nos iunge, nunc vitare
fac damnosa.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Hymnizemus hodie
Christo vero regi,
In psalmorum carmine
Iubilemus ei,
Qui transvexit inclitum
Ad caelos Ieronymum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cathedra pestilentiae
Hic doctor nunquam legit,
Sed verbo sapientiae
Vulpeculas abegit,
Demolientes vineam
Domini confregit.

2. Fremebant haeretici
Contra virum Dei,
Perversi quoque clerici
Illudebant ei,
Quorum unus posuit
Pravis in exemplum
Evae vestem, induit
Quam sanctus intrans templum.

3. Nimis multiplicati sunt
ipsum tribulantes,
Haeretici cum clericis
luxui vacantes,
De Roma dum proiciunt
sanctum blasphemantes,
De doctrinis caelicis
minime curantes.

Responsoria.

1. Ieronymus, verberibus
Vanis de codicibus
A Christo revocatus
Praeventusque muneribus
Et pascuis uberibus
Ab eo deputatus,
Ad matris ecclesiae
Ponenda fundamenta
Dum transtulit summopere
Utraque testamenta.

V. Iam duplicata Domino
Reddidit talenta,
Salubria nam populo
Dedit documenta.

2. Grandescit vir sanctissimus
In sanctitatis vita,
Ieronymus mitissimus,
Felix eremita;
Hic per quadriennium
Fit socius ferarum,
Pascitur ex fructibus
Et foliis herbarum,

V. Sic flebat venialia
Levissima peccata,
Tamquam homicidia
Forent perpetrata.

3. Nunquam lectum alium
Quam terram ipse scivit,
Pisces, cibos carnium
Nunquam concupivit,
Saccoque cilicio
Membra sic contrivit,
Ut sanguinis effusio
In die ter abivit;

V. Carnem sic spiritui
Ieronymus subiecit
Et magna mirabilia
In vita sua fecit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctum suum Dominus
Signis mirificavit,
Ipsum die obitus
Quidam blasphemavit,
Quem ultio divinitus
In lignum transmutavit,

Et ignis lapsus caelitus
Hunc incineravit.

2. Sepulcrum patens undique
Guttur haereticorum
Obstruxit mirifice,
Dum trium mortuorum
Per eum Eusebius
Suscitavit corpora,
Qui fatebantur plenius
Nequissimorum opera.

3. Honore cum gloria
Post mundi tropaeum
Et duplici aureola
Coronasti eum,
Virginum coronula
Sertoque doctorum,
Huius, Christe, per merita
Memento renatorum.

Responsoria.

1. Adpropinquante tempore
Dissolutionis
Discipulis magnopere
Compos rationis
Dixit: dilectissimi
Fratres caritatis,
Ad praesepe Domini
Me sepeliatis

V. Et corpus dominicum
Statim adferatis,
Desidero potissimum,
Me reficiatis.

2. Corpus cum salvificum
Vir sanctus recepisset
Simeonis canticum
Et vix complevisset,
Instar solis radius
Subito refulsit,
Vox elapsa caelitus
Talia deprompsit:

V. Veni, dilectissime,
Serve mi fidelis,
Iam delicatissime
Laetaberis in caelis.

3. Hipponedum in cellula
In huius mortis horula
Sederet Augustinus,
Anima sanctissimi
Apparuit Ieronymi
Splendor ut divinus,
Praeconceptam quaestionem
Solvendo per rationem
Caelitus expertam.

V. De caelesti hierarchia
Hunc instruxit hic in via
Unitatem trinitatis
Declarando sibi satis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Habitavit sedulo
In Dei tabernaculo
Ieronymus insignis,
Palam quoque clanculo
Restitit in saeculo
Perversis et malignis.

2. De pretioso lapide
Coronam in capite
Eius posuisti,
Vitae longitudinem
In caelo, terra caelibem
Ei tribuisti.

3. Populi, laetamini,
Et vos elevamini,
Portae aeternales,
Transit de sublimibus
Ieronymus concivibus
Ad nuptias regales.

Responsoria.

1. Venit baptista salvatoris
De supernis caeli choris
Cum sancto Ieronymo
Dicens Augustino:
Hic certe meus socius,
Quem tu vides, Ieronymus,
Aequalis mihi oppido
Est in caeli gaudio.

V. Sicut Deum video,
Sic et ipse videt,
Cognoscit et intellegit,
Non amplius formidet.

2. Silvanus praesul inclitus
Et Sabinianus

Haereticus nequissimus
Sub tortoris manus
Se obligabant mutuo
Errore pro haeretico;
Sanctus praesul educitur,
Et gladius mox rapitur
Per manus sanctissimi
Doctoris Ieronymi.

V. Increpans haereticum
Subito disparuit,
Et caput nequissimum
Mox ad terram decidit.

3. Translationis tempore
Dum coepit terram fodere
Inclitus Cyrillus,
In tumulo sic iacuit,
Ut nusquam terram attigit
Sancti viri corpus,
Quem nunc Roma fovet
in templo virginis almae.

V. Subvenias tristi
populo, Ieronyme, Christi
Doctor et amice,
tu fons nitidissimae linguae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O quam credibilia
Tua testimonia
Fecit ille, Deus,
Dum pro tua vinea
Per tempora non modica
Fit Graecus et Hebraeus.

2. Summa cum sollemnitate,
Omnis terra, iubilate
Deo cum laetitia,
Qui hunc sanctum decoravit,
Sibi fidem praeparavit
Per aeterna saecula.

3. Quaesierunt, sed in vanum,
Sanctum praesulem Silvanum
Tres morti perimere,
Sed ensis retrosiliit,
Quotiens hic cecinit:
Succurre, Ieronyme.

4. Omnes benedicite
Deo sacerdotes,
Et fideles psallite,
Nam ad caeli dotes
Graditur eximius
Hodie Ieronymus.

5. Collaudabant bestiae
Suum creatorem,
Dum fecit mitescere
Ieronymus leonem,
Qui venit in coenobium
Propter spinam pungentem,
Demum pascit asinum
Ligna deferentem.

Ad Benedictus.

A. Principalis spiritus,
Qui est os sanctorum,
Loquebatur caelitus
Per speculum doctorum,
Dum de petrarum medio
Magnam vocem populo
Dederat Ieronymus,
Hinc gentes et populi
Modulemur et singuli:
Benedictus Dominus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In omni terra sonuit
Ieronymi doctrina,
Nam ipse primus condidit
Officia divina,
Invisis quem prodigiis
Deus magnificavit,
Insuetis signis variis
Hunc mirificavit;
Testantur venerabiles
Cyrillus, Augustinus,
Salem, Hippone praesules,
Quod doctor hic divinus
Sit unus de sublimibus
Christi summi regis

Hierarchiae civibus
Et sacrae norma legis.

O sacer Ieronyme,
Nos iunge regi gloriae.

Brev. Misnense imp. s. l. 1483. A. — Viatic. Misnensis imp. Lipsiae 1502. B. — In 1. Vesp. **A** 4, 8 nullus A. — Ad Magn. **A**, 9 pauca rixa. AB. — Ibid. 14. Mediis A. — In 1. Noct. **A** 3, 5 cum A. — **R** 1, 8 ponendum A. — **R** 3, 2 iste A. — In 2. Noct. **A** 1, 2 Miris significavit B. — **R** 1, 11 Desiderio AB. — **R** 1, 12 Me fehlt A. — In 3. Noct. **R** 2, 14 cecidit A. — In Laud. **A** 3, 6 Succurre gloriose Ieronyme AB. — Ad Ben. **A**, 9 et fehlt A. — Hymnus: Ecce qui Christi decoravit aulam (Dan. I, 268).

36. De sancto Hieronymo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Fulsit splendor firmamenti,
Quando regum rex credenti
Mundo curam hominum
Gerens misit protectorem,
Sacrae fidei doctorem
Beatum Ieronymum.

Ad Magnificat.

A. Ad sancti patris
sollemnia, plebs generosa
Adpropians laudis
det cantica nunc speciosa,
Semina qui mundo
suae doctrinae furibundo
Sparsit largiflue
docens ad summa venire;
Pectora curvemus,
cui laudes magnificemus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Mole pressa iam corporis
In sancti festo doctoris
Christum laude deprecemur,
Ut ad ipsum sublevemur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Annis tener vir beatus
Hians Romam adiit,
Arte prima cui Donatus
Primo doctor exstitit.

2. Tanta crevit disciplina,
Ut non solum hic Latina
Lingua, Graeca doceretur,
Sed Hebraea fungeretur.

3. Cum leporem lectitaret
Tullianum, ruminaret
Sophiam Platonicam,
Flagro caesus caeli more
Amplexatur mox labore
Artem theologicam.

Responsoria.

1. Salem hausit suo flore,
In quo mansit cum decore
Hic vir praeclarissimus,
Affatim quem velut undam
Post effudit nimis mundam
Eloquens Ieronymus,
V. Linquens dogma Priscinorum,
Sequens thesaurum sanctorum.

2. Ter denorum iam annorum,
Cum fuisset, Romanorum
Est creatus cardinalis,
Nec inventus fuit talis;
V. Sanctitate praecellebat,
Sapientia pollebat.

3. Summo praesule defuncto
A clero Romano cuncto
Dignus est fastigio
Adclamatus, sed hic spernens
Solitudinem plus quaerens
Relicto fastigio,
V. In quam transit vir devotus
Fit anachoreta totus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Arguebat iugiter
Cleros lascivientes,

Idcirco unanimiter
Oderunt eum ferventes.

2. Norunt castimoniam
Patrem diligentem
Atque innocentiam
Prorsus retinentem.

3. Mulieris vestimentum
Mane surgens induit
Visitando matutinum,
Suum fore credidit;
Illud in opprobrium
Aemuli fecerunt,
Suum iuxta lectulum
Quod prius straverunt.

Responsoria.

1. Ieronymus anachoreta
Bis duobus annis spreta
Saeculi laetitia
Mansit plorans, maestus, gemens,
Sitibundus, fame demens,
Paenitendo vitia,
V. Regem regum generosum
Ut haberet gratiosum,
Hanc elegit sibi vitam,
Cum se fecit eremitam.

2. Algus ingens hunc consumpsit,
Solis fervor et combussit
Pellem eius niveam,
Tempus atque spatiosum
Saepius tempestuosum,
Fecit Aethiopicam;
V. Tanta quamquam sit perpessus,
Patiendo non est fessus,
Sed se putans deliciis
Interesse laetitiis.

3. Solitudine relicta
Festinans Bethlehemita
Sanctus fit Ieronymus,
En, ut hagiographiae
Foret interpres sophiae,
Hunc elegit Dominus,
V. Nobis large propinavit,
Adulescens quod gustavit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Leo claudus insudante
Lectione, contemplante
Sancto viro subintravit,
Tremefacti fratres surgunt,
Velocissime discurrunt,
Illi solus obviavit.

2. Conquerendo monstrat plantam
Leo dire sauciatam,
Ut sibi provideret,
Et confestim sanaretur,
Crebra cura pes lavatur,
Sente vulsa mox sanatur.

3. Truculentia reiecta
Velut agnus intra tecta
Inter fratres conversatur,
Ad quorum pedes mox curvatur.

Responsoria.

1. Multilinguem cognocens
Et famosum Papa prudens
Huic iniunxit studium,
Piae mentis ex affectu
Sanctae matris pro profectu
Ut conderet officium:
V. Prius quisque, quod volebat,
Precabatur, ut sciebat,
Suasu sed imperatoris,
Sacri cultus dilectoris.

2. Vidit evangelistarum
Rudimenta gloriosa
Frustratim epistolarum
Ad legenda pretiosa;
Iussa patris adimplevit,
Cultus sic diurnus crevit,
V. Amplexatur, veneratur,
Omnis clerus gratulatur.

3. Vatum psalmos segregavit,
Seriatim ordinavit
Depromendos iugiter,
Almae laudem trinitatis
In psalmorum fine satis
Statuit humiliter;
V. Dei laudis augmentator,
Grandis fuit ordinator.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mira Dei bonitas
Huic sedem paravit
Sancto, cuius gnaritas
Mundum illustravit.
2. In illis temporibus
Haereses fuere
Suisque conatibus
Scripta pervertere.
3. Clarus homo clara vita,
Sanctitate redimita,
Sustulit horum latratus,
Qui, cum essent transferentes
Veritatem conticentes,
Obiurgavit roboratus.
4. Haereses cunctas priores
Exstirpavit et errores,
Veritatem demonstravit,
Ob hoc caelum, terra, mare
Deum benedicunt gnare,
Sic hunc sanctum qui perflavit.
5. Ad aeternam regis pacem
Mundum linquens hunc fallacem
Nonaginta octo annis
Sex et mensibus expletis
Suae vitae sanctus transit
Et cum caeli sanctis mansit.

Ad Benedictus.

A. Ab excelsis est vocatus,
Ut obiret, vir beatus
Quadringentis circiter
Annis nostri salvatoris,
Angelorum astat choris
Promens laudes iugiter.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Lucens fax inter doctores,
Verax inter translatores,
Ieronyme sanctissime,
Plebem doctam te pulsantem
Et tuas doctrinas fantem
Respice piissime,
Quam guberna sancta prece,
Ut damnosa prorsus nece
Non gravetur mortua,
Sed fungens amoenitate
Sit, qua fungeris beate,
Cum sanctis perenniter.

Brev. ms. Plagense anni 1499. Cod. Plagen. s. n. A. — Brev. ms. saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 13847. B. — Cod. Graecen. 970. saec. 15. C. — Brev. ms. anni 1846. Cod. Oenipontan. 628. D. — Brev. ms. S. Nicolai Patavien. saec. 15. Clm. Monacen. 16140. E. — Brev. Chimense imp. Venetiis 1516 F. — In 1. Vesp. Super Ps. **A** in 2. Vesp. F. — In 1. Noct. **A** 2, 3 et Graeca F. — **A** 3, 2 Et Tullianum F. — **A** 3, 4 caeli rore F. — **R** 2, 2 fuisset Romae AF. — **R** 2, 6 Et sapienta F. — **R** 3, 6 Abs omni fastidis C. — **R** 3, 8 Manet anachoreta AF, Sic anachoreta B. — In 2. Noct. **A** 3 O sancte Ieronyme, sidus aureum etc. (de communi) AF. — **R** 1, 4 Permansit AF. — **R** 1, 5 famens demens BC, fame degens D. — **R** 2, 1 Algor F. — **R** 2, 9 in deliciis F. — **R** 3, 3 fit fehlt A; sic F. — **R** 3, 5 fores B. — In 3. Noct. **A** 1, 4 surgunt fehlt AF. — **A** 2, 6 Sauce vulsa B. — **A** 3, 2 tnfra F. — **R** 1, 7 Priusquam quam quid volebat A; Prius quidvis quod B. — **R** 1, 8 et sciebat A. — **R** 1, 9 Snasit sed A. — In Laud. **A** 3, 5 continentes F. — **A** 3, 6 obviavit F. — **A** 5, 4 Et sex F. — In 2. Vesp. ad Mag. **A** 6 Ieronyme inclite etc. entlehnt AF. — Hymn.: Ecce qui Christi (Dan. I, 368).

37. De sancto Hieronymo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laude magna, vox sonora,
Largiente potiora
Semper decet sine mora
Christum coli Dominum,
Qui haereticos dispersit,
Exaltavit et respersit

Christi sponsam atque tersit
Sanctum per Ieronymum,
Virtus caelica laetatur
Aucta tali compare,
Virtus cuius ostentatur
Tot signorum iubare.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Angelorum pro concive
Celebri Ieronymo
Iubilemus nunc festive
Summo Christo Domino.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Romam scandens vir beatus
Christi veste cingitur,
Clara fide roboratus
Sacro fonte tingitur,
Secus fontium decursus
Sita mens Ieronymi,
Sese vehens semper sursum
Stat in lege Domini.

2. Sumpsit ibi rudimenta
Trino pollens famine,
Hausit artium fluenta
Dulci cum solamine;
In quem gentes fremuerunt,
Quarum rupit vinculum,
Iugum harum iecit, ferunt
Hinc fidei cingulum.

3. Literarum quo adepto
Mundanarum studio
Omni cavit ab inepto
Haeresis colludio,
Multae quamvis hunc circumdant,
Non formidat milia
Gentis, ipsi nam abundant
Caelica consilia.

Responsoria.

1. Alme pater, qui sacrista
Sacrorum charismatum,
Tu in scholis es legista
Divinorum dogmatum,
Opem semper sponsae Christi
Tuo fer precamine,
Quam doctrinis tu fovisti
Flante summo flamine;
V. Nos purgatos a peccatis
Christo sacro sanguine,
Fac, regnemus cum beatis
In sanctorum agmine.

2. Sancti claustrum introgressus,
Planta laesus acriter,
Lugens leo atque fessus,
Lotus qui hilariter
Est medelam consecutus,
Mitescit saevissimus,
Fit asello sic imbutus
Curator tutissimus;
V. Quem cum quidam abegissent,
Ligna leo detulit,
Quos, ad claustrum cum redissent,
Rugiens ire compulit.

3. Corpus pendent exhumatum
Nusquam tactum publice,
Post decessum est locatum
In ara mirifice,
Sex et decem obcaecáti
Lumen tunc recuperant,
Et obsessi catenati
Tres salvati fuerant;
V. Natus viduae compressus
Foveae coniungitur,
Triduanus fossa pressus
Vita secum fungitur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quem adversis tribulatum
Dominus mirificat,
Vultu suoque signatum
Caelitus laetificat,
Invocantem exaudivit
Extulit Ieronymum,

Eius sponsam qui munivit
In salutem hominum.

2. Viros sanguinum dolosos
Perdens et mendacia,
Nodos Arrii nodosos
Solvit Christi gratia,
Quem matrona Paula fovit
Suis facultatibus,
Quam cum nata reditavit
Divinis dogmatibus.

3. Hunc presbyterum cardinalem
Pontifex Liberius
Fecit, motum qui carnalem
Edomat severius,
Anastasiae ditatur
Titulo, fretus gloria
Et honore coronatur
Iugi pro memoria.

Responsoria.

1. Dum decessit, mox crebrescit
Haeresis pestifera,
Sed marcescit, dum accessit,
Veritas lucifera,
Vera fantur, cum donantur
Vitae tria funera,
Personantur et parantur
Christo laudis munera;

V. Finem promit sectae gratum
Vir beatus saepius,
Cum vocatur consolatum
Sensit se Eusebius.

2. Falsum sancto dum imponit
Librum hostis perfidus,
Nazarenus se opponit
Praesul fide fervidus,
Subdit se punitioni
Vitae, nisi venerit,
Signo dans huic actioni
Finem, qui defecerit;

V. Nazarenus liberatur
Et si genu flectitur,
Talionem dum laetatur,
Hostis sursum plectitur.

3. Forma daemon ut Silvanus
Terruit cubiculum,
Mulieres, ut profanus
Cunctis fit ridiculum,
Sanctum pulsant, sese truncant
Hunc nitentes perdere,
Iustum ligant et aduncant,
Sed salvatur propere;

V. Vir beatus suas iubet
Detegi nequitias,
Rugiens facit, quamquam pudet,
Cernit plebs versutias.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Notos linquit, Nazanzenum
Petit post Evagrium,
Hunc desertum praeamoenum
Subit dactiliferum,
Quo dum vivens se mactaret
Christo sine macula,
Fastus iecit, ut intraret
Eius tabernacula.

2. David tandem urbs fidelis
Praebet domicilium,
Hinc quo tensis quaerit velis
In scripturis filium
Dei, a quo coronatus
Est doctrinae gloria
Et decori magno datus
Spreta saecli scoria.

3. Sudat vere transferendo
Libros sacrae paginae
Explanando, componendo
Plures cum indagine
Mira, plus quam decem lustris
Illic ducit proelium
Fortis, potens et illustris
Pro castris fidelium.

Responsoria.

1. Vi torturae sunt confessi
Iuvenes interitum
Et ad decollandum pressi
Citra facti meritum,

Ictus aestimat remissos
Fefellisse protinus
Tortor, rogo tunc immissos
Protegit Ieronymus.
V. Iugulati sustentantur
Eius ministerio,
Quem vocabant, conversantur
Hinc in monasterio.

2. De pictura cruor fluxit
Ensis dum immergitur,
Sanctus iudici illuxit,
Factum narrat, pergitur,
Illuc nequam Arrianus
Fixus adhuc steterat,
Ut blasphemus atque vanus,
Donec plebs advenerat.
V. Lanceatus, gladiatus
Ac obrutus lapide
Obit miser laqueatus
Hamo mentis rabidae.

3. De Ieronymo secura
Cuncta pie creatura
Christo psallat, cuius cura
Mira fiunt in natura;
Gloriosi patris pura
Sternit daemonem figura.
Pelle nobis nocitura,
Quae suggessit mala plura,
V. Nam imago seu pictura,
Quod hinc fugat a factura
Dei laudes redditura.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Armis fidei praecinctus,
Febre licet valida
Tactus, caritate vinctus,
Docet tamen sapida,
Confitetur, dat se Deo
Celebris Ieronymus,
Migrat iustus et in eo
Sic regnavit Dominus.

2. Hunc Cyrillus, pater clarus,
Cantibus et cereis
Callis fultum cernit gnarus,
Severus cum ceteris;
Augustinus quoque scivit
Pure non sub nubilo,
Atria quod introivit
Domini in iubilo.

3. Te suscepit dextra Christi,
Pater venerabilis,
Cui devotus adhaesisti
Cursu vitae labilis,
Voluisti te humari
Ad praesepe Domini,
Nudus iens ex hoc mari,
Quo laus eius nomini.

4. Virtus omnis supernorum
Benedicat Dominum,
Nam deducet coetus horum
Ad supernum solium
Hunc doctorem gloriosum,
Doctrinis uberrimum,
Fructum qui dat luminosum
Nobis saluberrimum.

5. Exaltavit in salutem
Mansuetum Dominus
Et assumpsit ad virtutem
Caeli nihilominus,
Visum vibrat lux immensa
Suavisque fragrantia
Nares sparsit, cum intensa
Mortis est substantia.

Ad Benedictus.

A. Verbo, scripto quod sudavit
Ad dandam scientiam,
Actis semper adprobavit
Vitae per decentiam,
Omnes eius scripta statum
Informando solidant,
Finem suadit ad beatum
Et culpis improperant,
Linguam ampliat latinam
Legem sub hac unica
Totam transferens divinam
Verba per veridica;
Semper nobis interpellat
Veniam Ieronymus,

Ut nociva cuncta pellat
Benedictus Dominus.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Digna fulget dies laude
Celebris Ieronymi,
Omnis prompte lingua plaude
Christi laudes nomini,
Solis ortus cum occasu
Gaudet, doctor germinat
Multum fructum et hoc casu
Perfidos exterminat.

2. Omnes properate gentes,
Collaudate Dominum,
Fluctuosas firmat mentes
Mire per Ieronymum,
Cuius aurea doctrina
Falsitas dilabitur,
Semper veritas divina
Manet et firmabitur.

3. Ducens ab extremo nubes,
Magna diis prae ceteris,
Lucem nobis ferre iubes
A Stridonis exteris,
Unde pater generosus
Prodiit Eusebius,
Ac hinc nobilis famosus
Claruit Ieronymus.

4. Hic distinxit sitibunde
Psalmos nocturnaliter,
Pulchre Deoque iucunde
Ut psallamus taliter,
Lectionesque divisit
Missae per sollemnia,
Horis Dominum praemisit
Iuncta psalmis gloria.

5. Sion seras confortavit
Portarum ecclesiae,
Natos eius satiavit
Scripturarum adipe,
Ars est isti nulla latens
Cuncto fere famine
Pollens, fons est sursum scatens
Flante sacro flamine.

R. Trames patet luminosus,
Dum transiret gloriosus,
Christus forma speciosus
Haeret dextrae, numerosus
Chorus adest caelitus.
Ferens cereos ardentes
Solis iubar vincentes,
Sanctum throni concinentes
Sic reducunt congaudentes,
Abest dolor penitus;

V. Haec Cyrillus cernens clare:
Quis es? inquit, mihi fare!
Sum Ieronymus, o care,
Qui sic glorior praeclare
Gaudens linquens gemitus.

Ad Magnificat.

A. O sublimis principatus,
Per te noster incolatus
Spe refloret, quod beatus
Tecum semper gaudeat,
Qui quod sit sic candidatus,
Miris undique stipatus,
Tuus facit favor gratus,
Hunc qui sic mirificat;
Hic adversis fuit stratus,
Sed nunc caelo dedicatus,
Noster totus unde status
Dominum magnificat.

Propr. S. Iohannis Boscoducen. imp. Antwerpiae s. a. — In 1. Vesp. ad Magn. A, 4 celi. — In 1. Noct. R 1, 12 Rugens. — In 2. Noct. R 3, 11 Rugens. — In Laud. A 2, 1 Tunc Cyrillo. — A 2, 3 fultus. — In 2. Vesp. R, 7 fehlt eine Silbe; lies evincentes? — Vgl. die Hymnen Anal. XXIII.

38. De sancto Hieronymo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Iens per mundi circula
Astra quaerit Ieronymus,
Gerens vitam pauperculam,
Sicut praedixit Dominus.

2. Eius laudes magnificans
Et exsultans exercebor.
Doctrinam suam applicans
Et declarans confitebor.

3. Repellens hic caliginem
Errorum et inflammatus
Sacro spirante flamine
Est Ieronymus beatus.

4. Omnes fideles pariter,
Caeli cives, cantate,
Christi redempti sanguine,
Ieronymum laudate.

5. Novum praestet praesidium
Norma vitae beatae,
Quae dotavit Ieronymum,
omnes gentes, laudate.

Ad Magnificat.

A. O quam sanctum Ieronymum
Leo de silva praedicat,
Qui scripturarum cumulum
Mira virtute enodat,
Eremita mirificam
Vitam gerens perlucidam
Caeli cives laetificat,
Caeli cives magnificat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Omnes ante praesepium
Domino iubilemus,
Cum beato Ieronymo,
Venite, exsultemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Intravit monasterium
Ardore inflammatus
Ante Dei praesaepium
Ieronymus beatus.

2. Motu resolvi febrium
Quia fratres viderunt,
Ieronymum . . . .
Et quare fremuerunt.

3. Ipse fratres redarguit,
Plenos amaritudine,
Et, ne flerent, admonuit,
Sed decantarent: Domine.

Responsoria.

1. Vitae praeclarae speculum
Et norma sanctitatis,
Piissimus Ieronymus,
Doctor veritatis,
Vitae exsolvens debitum
Ait suis prostratis:
V. Sacco corpus contegite
Nudum humo tradentes,
Exspoliatum vestibus,
Sitis oboedientes.

2. Pastor et doctor optime,
Cur nos sic desolatos
Sine praesule deseris
Filios enutritos
Errantes et orphanos,
Oves bonis privatos?
V. Erue, pater, profugos
In terra aliena,
Non habentes refugium
Neque salutis venam.

3. Terrae asperitatem
Ut persensit vir Dei,
Iucundatus est nimium,
Fecit sermonem veri,
Deiciendo vitia
Plantavit, quae sunt Dei;
V. Regulam dedit fratribus
Fultam Dei timore
Et ornatam virtutibus
Dominico sermone.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vitam vestram dirigite
in Dei salutare,
Quia mihi praesidium
fuit, cum invocarem.

2. Salutis patrem praefero
vobis, ut vita vera
Vivatis regulariter
secundum verba mea.

3. De Cremonensi ambitu
Eusebium nomine
Sanctum virum et nobilem
proferens nobis, Domine.

Responsoria.

1. Vocemque mediocriter
Elevans vultu placido
Osculum dedit pariter
Suis iucundo animo,
V. In caelum tensis manibus
Ad Deum oravit
Lacrimis inundantibus
Se recommendavit.

2. Terrae macie affectum
Iuxta Domini praesepe,
Cum cernetis dissolutum,
Corpus meum sepelite
Et spoliate veste, nudum
Terra cooperite,
V. Eius mihi dantes corpus,
Qui in ligno me redemit,
Antequam sim absolutus
Ab his sarcinis terrenis.

3. Regis regum sanctum corpus
Cum Ieronymus conspexit,
Caritate inflammatus
Et ad intus genuflexit
Et prostratus exclamavit:
Domine, ad quid venisti?
V. Bone pastor, non sum dignus,
Ut sub tectum meum intres,
Quia reus, tu benignus,
Ut te ipsum mihi praestes
Et te dones tamquam pignus
Promittentem summas vestes.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ingemiscens Ieronymus
caritatis dulcedine
Sumpsit corpus dominicum
dicens: salva me, Domine.

2. Felix [atque] piissime,
serve Dei Ieronyme,
Qui exhalans exclamasti:
pacem da mihi, Domine.

3. Corpus tinsit . . . . .
. . . . . Ieronymi
Quasi solaris radii
missi a sede Domini.

Responsoria.

1. Regni caelestis gaudia
Sanctorum et militiam,
Vocem clamantem caelicam
Astantes persenserunt:
Veni, dilecte, accipe
Illam immensam gloriam,
Quam tibi tua opera
Praeclara meruerunt.
V. Audito hoc Ieronymus
Mentis cum summo gaudio
Clamavit: ecce, venio,
Pie Iesu Domine, suscipe
Quem tuo recuperasti
Pretioso sanguine.

2. Tunc subito disparuit
Lux illa et gloria,
Cum animam Ieronymi
Fulgentem solis radiis
Carnis solutis debitis
Caeli suscepit curia;
V. Erat Cyrillus, pontifex
Ierosolymae urbis,
In exstasi iam positus,
Divinitus dum vidit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regni caelestis curia,
Cito obviam venimus
Pro Ieronymi anima,
Quia mandavit Dominus.

2. De carnis ergastulo
Animam separate,
Eam cum summo gaudio
Ferentes, iubilate.

3. Immensis beneficiis
Ieronymum laudate,
Caecis visum restituit
Tactu, laudetur Deus.

4. Nefandorum spirituum
Propulsorem adducite,
Laudes, decus et gloria
Psallentes benedicite.

5. Solventes linguae vinculum
Et aurium vocate
Doctorem eximium,
Extollentes laudate.

Ad Benedictus.

A. Nobis assit Ieronymus
Virtutibus munitus,
Per quem malus haereticus
In lignum est mutatus
Et omnibus videntibus
Ab igne est consumptus
Et in cinerem conversus;
Deus sit benedictus.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Nil quaerens Ieronymus
Quam salutem pro homine,
Sicut novit altissimus,
Dixit: Deus in nomine.

Ad Tertiam.

A. Corde clamans Ieronymus:
Deus et pastor optime,
Qui es doctorum optimus,
Tu mihi legem pone.

Ad Sextam.

A. Latens intra corpusculum
Amor eum perfecit
Duxit[que] ad praesepium,
In quo mundo defecit.

Ad Nonam.

A. Usque ad finem pariter
contempsit mundialia,
Laudes Dei magnificans
narravit mirabilia.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Imitando vestigia
Salvatoris Ieronymus
Deseruit propria
Sicut dixit Dominus.

2. Opera magna Domini
Inquirens meditabor,
Viam salutis homini
Enodans confitebor.

3. Habitum gerens humilem,
Virtutibus ornatus
Exaltatus est hodie
Ieronymus beatus.

4. A summo rapit spiritum
A mundi sanitate,
Cum beato Ieronymo,
Pueri, Deum laudate.

5. Norma scripturae, speculum
Vitae in sanctitate,
Quia despexit saeculum,
Omnes gentes, laudate.

Ad Magnificat.

A. Regnans magnus Ieronymus
In urbe, quam aedificat,
Sui monstravit artubus
Legem quam iam laetificat,
Viam vitae notificat,
Regum regem magnificat.

Brev. ms. Hieronymitarum anni 1463. Cod. Matriten. A 169. A. — Brev. ms. Troianum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. B. — Brev. FF. S. Hieronymi imp. Lugduni 1547. C. — In 1. Vesp. **A** 1, 1 Vadens per C. — **A** 2, 1 magnificas C. — **A** 2, 3 applicas C. — **A** 3, 3 Sacro flante B. — **A** 4, 2 Et coelitus cives B. — **A** 4, 4 Et Ieronymum B. — **A** 5, 2 Ut norma B. — **A** 5, 3 Qui dotavit B. — **A** 5, 4 Et omnes B. — Ad Magn. **A**, 2 Deo silva praedicat B. — Ibid. 3 annulum B. — Ibid. 8 fehlt B. — Invit. 3 Christum regem cum beato Ieronymo AC. — In 1. Noct. Super Ps. nur eine **A**, die erste AC. — **A** 1, 1 Intravit monachus AC. — **R** 1, 4 fehlt B. — **R** 1, 5 resolvens AC. — **R** 1, 6 Et suae prosperitatis AC. — **R** 1, 7 Saccum AC. — **R** 1, 8 Nudum fehlt AC. — **R** 2. 2 sic fehlt AC. — **R** 2, 5 Errantes et omnibus AC. — **R** 2. 6 Oves fehlt AC. — **R** 2, 10 veniam AC; Nostre verum errantes B. — **R** 3, 7 dedit artubus B. — **R** 3, 10 Divino sermone B, Devoto A. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Viam nostram B, veram AC. — **AA** 2 u. 3 fehlen AC. — **A** 3, 4 Praeferens B. — **R** 1, 4 Suo B. — **R** 1, 6 orat B. — **R** 1, 7 madentibus AC. — **R** 1, 8 Se commendavit **A**, Ipsi se commendavit C. — **R** 2, 1 Terrae in matre B. — **A** 2, 3 cerneritis AC. — **R** 2, 5 Et spoliatum veste AC, Et exspoliate B. — **R** 2, 9 sim solutus AC. — **R** 3, 7 Bone pater B. — **R** 3, 9 Quia ego reus AC. — **R** 3, 11 Et edones B. — In 3. Noct. **AA** 2 und 3 fehlen AC. — **R** 1, 2 et fehlt AC. — **R** 1, 5 Veni dilecte Domini, accipe et recipe AC. — **R** 1, 7 tua fehlt AC. — **R** 1, 8 Praeparata meruerunt AC. — **R** 1, 9 hoc fehlt B. — **R** 1, 11 ecce advenio B. ecce ad te venio AC. — **R** 1, 12 Me benigne Iesu recipe. AC. — **R** 1, 13 sq. fehlen AC. — **R** 2, 2 Lux et gloria illa egregia AC. — **R** 2, 5 fehlt AC. — **R** 2, 8 Ierosolymitanae AC. — **R** 2, 9 iam fehlt B; in extasiam A. — In Laud. **A** 1, 1 coelestis gloria mira B. — **A** 4, 2 Propulsari addicite B. — **A** 4, 3 Laudes fehlt AC. — **A** 5, 1 Ieronymum solventes linguae ABC. — Ad Bened. **A**, 5 videntibus omnibus B. — Ibid. 7 Et in canere conversus B. — Per Horas **AA** fehlen AC. — In 2. Vesp. **A**, 1 2 Ieronymus fehlt AC. — **A** 1, 3 Deseruit procul ante B. — **A** 1, 4 Semper dixit B. — **A** 2, 4 Meditans confitebor B. — **A** 4, 1 A summo acti spiritum AC. — **A** 5, 1 Forma B. — Ad Magn. **A**, 2 aedificavit AC. — Ibid. 5 Nam vitae B. — Ibid. 6 Regem regi B. Der Schlufs der **AA** ist stets gleichlautend dem Anfange des je folgenden Psalmes.

39. De sancto Hieronymo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Eximius ecclesiae
Sanctus doctor Ieronymus
Fulsit divino munere
Signis, doctrina, moribus.

2. Mentis simul et corporis
Ditatur pudicitia,
Humilitatis spiritu,
Fide, spe, patientia.

3. Plura dictat volumina,
Exponit evangelia,
Ad vitam ducit invios,
Firmat in fide dubios.

4. Bona contempsit penitus
Pro Christo transitoria,
Spem ponens in caelestibus,
Manum misit ad fortia.

5. Deo placere studuit
In cunctis suis actibus,
Plenus dierum obiit
Fatigatus laboribus.

Ad Magnificat.

A. Alme redemptoris
confessor, virgo pudice,
Doctor et ecclesiae,
maior cui nullus in orbe,
Praecellens operum
cunctorum forma bonorum.
Ducens angelicam
mortali corpore vitam.

Suscipe vota, preces,
Domino nos reddito gratos
Et tibi devotos
facias sine fine beatos.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Corde et ore simul
iubilemus cuncta regenti,
Ieronymo sua pro meritis
nunc praemia dantis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mente simul et corpore
Vir iste salutiferum
Fructum fecit in tempore
Velut lignum fructiferum.
2. In timore servit Deo,
Cuius praecepto docuit
Clerum, zelator domus suae
Lascivitatem corripit.
3. Tribulatur ab impiis,
Effugatur in Bethlehem,
Ubi diebus plurimis
Vitam peregit caelibem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vanas opes et culmina
Huius contempsit saeculi
Cunctaque vitat crimina
Amore filii Dei.
2. Scuto munitus fidei
Expugnabat haereticos,
Zelo amoris proximi
Increpabat et impios.
3. Parumque minor angelis
Natura, vita similis,
Mirabilis virtutibus
Fulsit doctrina, moribus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In scriptis suis verior,
Sensu verborum clarior
Cunctis fuisse dicitur
Tribusque linguis loquitur.
2. Magnis potitur praemiis
Trino fruens et simplici,
Coronatus pro meritis
Sursum nunc serto duplici.
3. Iesus, virtutum dominus,
Rex sempiternae gloriae,
Ieronymi det precibus
Regna caelestis patriae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Congratulentur hodie
Omnes simul ecclesiae,
Caelos dum scandit inclitus
Harum doctor Hieronymus.
2. Improperanter dominus
. . . . . .
. . . . . legis aemulus
Fit ob hoc caesus nimium.
3. Splendor est patientiae,
Virginitatis speculum,
Exemplar innocentiae,
Forma virtutum omnium.
4. Ecclesiae praefulgida
Lampas, columna aurea,
Quantoque magis tunditur,
Tanto minus confunditur.
5. Huic ferox fera rugiens,
Leo ad nutum serviit,
Qui iugiter oboediens
Dei mandatis exstitit.

Ad Benedictus.

A. Templum fuit speciale
Dignitatis, virginale
Gratum munus obtinens,

Decus quoque doctrinale,
Nos beatos faciens
Fuit in sensu morali,
Mystico et literali
Eruditor eminens.

Brev. S. Donatiani Brugen. imp. Parisiis 1520. — Alle RR des Officiums sowie die A ad Magn. in 2. Vesp. prosaisch. — In 2. Noct A 3, 3 in virtutibus. — In Laud. ad Bened. A, 7 wieder et morali. — Die drei zum Officium gehörigen Hymnen vgl. Anal. XXIII, Nr. 325 sqq.

40. De sancto Hieronymo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sancti Ieronymi
Clara praeconia
Adnisu animi
promat ecclesia.
2. In tenella iuventute,
In labore multiplici
Legit stratum vitae tutae
Cleri apostolici.
3. Iam adultus ut Iosias
Industrius Ieronymus
Dei coepit cultus vias
Arripere laetissimus.
4. Ut sol miros dat fulgores,
Viae luculentia
Ornat vitam, format mores
Doctrinae sollertia.
5. Hortus virtutum floridus,
Virginitatis lilium,
Liber cunctorum splendidus
Portas subvertit hostium.

R. Aureo candelabro
fulgens gloriosa lucerna,
Doctrinae rutilans
Ieronyme sede superna,
Ad te clamantes
mundi lux, sal terrae, guberna,

V. Doctorum doctor inclite,
Adiutor tu, Ieronyme,
In tribulatione succurre.

Ad Magnificat.

A. Clarus doctor
et lux fidelium,
Orbis decus,
candoris lilium,
Norma vitae,
lex morum omnium,
Felix caeli
sortitur bravium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Omnis sapientiae
Ducem adoremus,
Doctorum ecclesiae
Specimen laudemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Documentis artium
Ad primum eruditus
Adit Dei studium
Virtute redimitus.
2. Caelibatu honestatus
Ascendit summum cardinem,
Omni quoque consummatus
Aptus ad celsitudinem.
3. Obiurgator vitiorum
Vocat pravos clericos,
Exterminator errorum
Pessumdat haereticos.

Responsoria.

1. Ecclesiae officium
Hic ordinavit rectius,
Davidicum eulogium
Vertit de fonte verius,
Propheticum eloquium
Exposuit perfectius,

Catalogum illustrium
Virorum dat insignius,
V. Philosophorum omnium
Novit ipse plenissime,
Theologorum studia
Vicit perspicacissime.

2. Helvidius insanus
Cedit et Pelagianus,
Origenes tam profanus
Tantae lucis radio,
V. Iovinianus mutuit
Simulque Vigilantius,
Omnis haeresis siluit
Verique adversarius.

3. Studiosus in Platone,
Pariter et Cicerone,
Minus curans de sermone
Tradito divinitus,
Est attritus passione,
Est punitus caelitus;
V. Qualis sit tunc requisitus,
Christianus falso dictus,
Tullianus recensitus
Plagis multis est afflictus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Instante vitae tempore
Cum vocaretur caelitus,
Deficiente corpore
Confortabatur spiritus.

2. Angelorum imitatus
Vitam et officium,
Est ab iis invitatus
Ad captandum praemium.

3. Tactu sacri corporis
Caecus est sanatus,
In momento temporis
Haereticus crematus.

Responsoria.

1. Quasi stella matutina
Splendet pater inclitus,
Et ut luna plena bina
Stat corona praeditus,
Pudicitiae corona
Radians divinitus.
V. Quasi sol in Dei templo
Fulget doctor maximus
Verbo, signis et exemplo,
Confessor Ieronymus.

2. Leonem spina saucium
Iubet remediari
Mansuetumque socium
Asellum comitari,
Quo rapto mandat proprium
Opus illum sectari,
Leo camelis praevium
Cogit abbati dari;
V. Raptores petunt veniam,
Olei praebent copiam,
Et sic mandat servari.

3. Cum dignus gloria
In lectum decidit,
Tunc sapientia
Se mirum prodidit,
Sacra mysteria
Cum fletu prendidit
Et plenus gratia
Spiritum reddidit;
V. Quot in ecclesia
Tractatus edidit,
Tot luminaria
Orbi contradidit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In multis linguis peritus
Sacram transfert paginam,
Patientia munitus
Multam suffert sarcinam.

2. Patrum vitas scriptitavit,
Virginum mores dictavit
Ac clericorum regulas.

3. Hic correxit mundi statum
Atque repressit reatum
Per scripturae normulas.

Responsoria.

1. Cum occasus immineret,
Caelicus exercitus

Et lux tanta, quam timeret
Hominum intuitus,
Paruere, ut clareret,
Quam sit caelo editus;
V. Superans fragrantiam
Odor naturalem
Cumulatam gloriam
Monstrat singularem.
2. Corpus carens
fluenti carie
Instar leprae
latorem saucium
Plenum claret
fluentis gratiae,
Dum odorem
spargit eximium.
V. Signa testantur caelica
Et odoris diffusio
De doctrina catholica
Et de pudoris lilio.
3. Pulchritudo
strati itineris
Eius hora
completi temporis,
Multitudo
caelestis agminis
Ferens in manibus
vasa luminis
Hunc demonstrant
iungendum superis
Et declarant
vim sanctitudinis,
V. Tunc mirandus fulgor lucis,
Dum auditur verbum ducis,
Praemiandum hunc pro crucis
Portitura sedula.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. En, adest dies celebris,
Ieronymus qua laetius
Transit de mundi tenebris
Caeli civis eximius.
2. Alexandrinis profuit
Ieronymi vocatio,
Qua in delicto adfuit
Miranda liberatio.
3. Innocentibus delatis
Bethlehem pergentibus,
Igne et fluctis damnatis
Astitit Ieronymus.
4. Titum devotum perditum
Revocavit ad gratiam,
Monacho lapso aditum
Impetravit ad veniam.
5. Propter luxum presbyteri
Iacentis sacro tumulo
Pestem senserunt ceteri
Revelante Ieronymo.

Ad Benedictus.

A. Ieronymi
beata munia
Noster chorus
promat cum gaudio,
Cuius clarae
doctrinae gratia
Orbis totus
refulget radio,
Nunc aeterna
doctorum gloria
Gaudet felix
iunctus collegio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Ieronyme inclite,
Per quem fulget ecclesia,
Virginitate praedite,
Zelo virtutis, gratia,
Baptistae compar prodite
Vitae et abstinentia
Et in cunctis composite,
Facundae eloquentiae,
Pietatis inclitae
Admiranda prodigia,
Tu, caritatis solitae
Memor ad danda munia.
Finito mundi tramite
Perduc nos ad caelestia.

Antiph. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. XII A 9. A. — Brev. ms. Pragense saec. 14. Cod. Altovaden. XXV. B. — Brev. ms. Olomucense anni 1419. C. — Brev. ms. S. Iacobi Brunen. 30 saec. 14/15. D. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 760. E. — Brev. ms. S. Mauritii Turonen. anni 1343. Cod. Turonen. 145. add. saec. 14. ex. F. — Brev. ms. Oculense saec. 15. Cod. Matriten. A 174. G. — Brev. ms. Oxomense saec. 15. Cod. Capit. Oxomen. s. n. H. — Brev. ms. Raigradense $\frac{D}{K}$ I b 1. saec. 15. I. — Brev. ms. Franciscan. Bergomen. saec. 15. Cod. Capit. Patav. A 69. K. — Brev. ms. Franciscan. Gallic. saec. 14. Cod. Matriten. Bb 166. L. — Brev. ms. Coelestin. Bononien. saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2275. M. — Brev. ms. Tarvisiense saec. 15. Cod. Capit. Tarvisien. I 16. N. — Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurent. Conv. sup. 512. O. — Brev. ms. Augustin. Gallic. saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2864. P. — Brev. ms. Servorum BMV. Venet. anni 1473. Cod. Oxonien. Douce 314. Q. — Brev. ms. Monachorum Angelorum Florent. saec. 15. Cod. Vatican. Urbin. 599. R. — Offic. ms. Praedicatorum saec. 16. in. Cod. Barcinonen. I IV 7. S. — Brev. ms. S. Clarae Neapolit. saec. 14. Cod. Casanaten. B III 5. add. saec. 15. T. — Brev. ms. Hieronymitarum anni 1463. Cod. Matriten. A 169. U. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1521. V. — Brev. Augustense imp. 15**. W. — Brev. Cordubense imp. Hispali 1524. X. — Brev. Tirasonense imp. Venetiis 1497. Y. — Brev. Calagurritanum imp. Lucronii 1543. Z.

In 1. Vesp. **A** 1, 3 Amissu E, Amnisii T. — B u. a. beginnen mit dem Responsorium, welches wieder in E u. a. fehlt. — In 1. Noct. **A** 2, 2 summum apicem E. — **A** 2, 3 Omniumque consummatus ABC, Veste falsa deturpatus V. — **A** 2, 4 Reliquit celsitudinem V. — In 2. Noct. E setzt in diese Nokt. die **AA** der dritten. — **R** 1 lautet in E u. a.:

R. Sumit mundus medullas spiritus
Literali detecto cortice,
Famem, sitim pellunt divinitus
Manna datum, aqua de silice;
V. Haec Ieronymus praebet caelitus
In supremo doctorum vertice.

R 2, 8 cogit fehlt A. — In 3. Noct. **A** 2, 3 Ac fehlt AB. — **A** 3, 3 normulam B. — **R** 1, 3 lux fehlt AB. — **R** 3 fehlt AV; statt seiner in E:

R. Praecursoris et baptistae
Admirandae gratiae
Compar fuit doctor iste
Aequalisque gloriae,
Augustinus hoc testatur
Se vidisse certius,
Et Cyrillus id effatur
Et scribit expressius.
V. Nam uterque caelebs purus
Et absque contagio
Domat artus sibi durus
Veste et edulio.

In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 1 O fehlt C. — Ibid. 3 prodite B. — Ibid. 7 componite B. — Zu diesem Officium kommen in der Regel drei der folgenden vier Hymnen in verschiedenen Gruppierungen und zu verschiedenen Horen vor: Laude laudet laxa magnum (Anal. IV, 153); Caelesti doctus lumine (Anal. IV, 154); Splendent caeli sedilia (Anal. l. c.); Ecce, qui Christi decoravit aulam (Dan. I, 268).

41. De sancto Huberto.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Respiremus in beati
Huberti memoria,
Nos ipsius praeditati
Corporis praesentia,
Consurgamus excitati
In eius praeconia.

2. Insecutus nobilium
Ritus adulescentium.
Militari cingulo
Sese praecingens nobilis
In armorum est habilis
Usu placens populo.

3. Hic Aquitanus genere
Turriti regis tempore
Regalis palatii
Comes insignitus,
In doctrinis eruditus
Literalis studii.

4. Sub coniugali foedere
Castitatem coluit,
Quam iussus erat ducere
Uxorem sic habuit,
Quod iura thori petere
Coniugalis horruit.

5. Ebroinum considerat
Promptum ad malitiam,
Quam cum ferre non poterat,
Secessit in Austriam,
Ubi rex Pipinus erat,
Sic reliquit Franciam.

R. O Huberte, pastor pie,
morum virens plantula,
Summi regis, te collaudant
frequenter miracula,
Hostis saeva da prudenter
praecavere iacula,

V. Poscas nobis apud Deum
vitam prece sedula.

Ad Magnificat.

A. Petri clerus iucundetur
Hodie Leodii,
Praesens corpus veneretur
Praesulis eximii,
Ut eidem suffragetur
Ope patrocinii.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo, regi confessorum,
Iubilemus pariter,
Quem civium supernorum
Hymnus laudat iugiter,
Quibus iunxit apex morum
Hubertum sollemniter.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Moram Tungris cum faceret
Iuvenis egregius
Et Lambertum agnosceret
Morari vicinius,
Traiectum, ut hunc cerneret,
Descendit velocius.

2. Hunc Lambertus amplexatur
Dato pacis osculo,
Sic in eius hospitatur
Comes habitaculo,
Ei quoque commendatur
Caritatis vinculo.

3. Post sermones sancti viri
Eiusque consilium,
Post totius reperiri
Mutatus in alium
Virum comes et sortiri
Cleri vult consortium.

Responsoria.

1. Consilio igitur
Lamberti vir memoratus
Moribus imbuitur
divino rore rigatus,
Caelitus iustruitur,
modo lege Dei meditatur.

V. Clericus efficitur,
Domino servire paratus.

2. Summum pastorum
post haec festinat adire,
Limina Sanctorum
Petri Paulique subire,
Ut per eos valeat
cum Christo foedus inire,
V. Quo sua mens nequeat
a proposito resilire.

3. Sergius Hubertum
Romae dum sciret adesse,
Illi Lambertum
Dodonis nuntiat esse
Occisum telis,
quoniam fuit ore fidelis,
V. Damnator Veneris
superinductae mulieris.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In lamentis resoluta
Est Tungrorum regio,
Grave damnum consecuta
Lamberti martyrio,
Exstat prorsus destituta
Pastoris solatio.

2. Dum quievit in aurora
Corpus papae Sergii,
Dormienti ipsa hora
Praedicti martyrii,
Apparuit sine mora
Angelus consilii.

3. Rem Lamberti notam fuit
Divina relatio,
Rem Huberti patefecit
Dormienti Sergio,
Argumentum his subiecit
Baculi translatio.

Responsoria.

1. Sergius angelicis
monitis parere probatur,
Mitra pontificis
Hubertus condecoratur,
Sic gerit Hubertus
Insignia pontificatus,
V. Priusquam Lambertus
est a Dodone necatus.

2. Post funus triste
Lamberti martyris iste
Praesul succedit
et in eius sede resedit,
Qui peregre venit,
mitratus ab urbe recedit,
V. Sic Deus adcedit
illi, quem gratia lenit.

3. Praecipuis meritis
et sanguine clarus avorum
Servet ab illicitis
nos actibus atque pravorum,
Nos faciat monitis
attentos eloquiorum,
V. Inclitus et mitis
Hubertus semita morum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Curam agens Tungrensium
Sparsas oves congregat
Et ad bonarum ovium
Gregem illos aggregat,
Pietatis officium
Nulli prorsus denegat.

2. Oves fessas sublevabat
Salutari baculo
Et confractas solidabat
Caritatis vinculo,
Aegrotantes sustentabat
Spiritali pabulo.

3. Magnus erat consolator
Horum, quibus praefuit,
Oppressorum sublevator
Illis nunquam defuit,
Infirmorum visitator,
Quibus semper adfuit.

Responsoria.

1. Quando suum scivit
corpus debere resolvi

Ac animam novit
de carnis carcere solvi,
Transiit ad claram
Lamberti martyris aram,
V. Exorando quidem
se commendavit eidem
2. Basilicam subiit,
quam Petri laude dicavit,
Albini petiit
altare, quod ipse sacravit,
Ante quod extensus
est Christum flendo precatus,
V. Illic prostratus
est tumbam corpore mensus.
3. Cum mors instabat,
oculos direxit ad astra,
Haec precabatur:
iam cogor languida castra
Corporis exire,
mortis quoque claustra subire;
V. Sic exspirasse,
sic fertur ad astra levasse.

Prosella.

1 a. Huberte, praesul eximie,
Proles insignis prosapiae,
1 b. Totius cultor munditiae,
Iubar praeclarum ecclesiae.
2 a. Resides hodie
In throno gloriae,
2 b. Frueris requie
Caelestis patriae.
3 a. Noxas nostras
clementer dilue,
3 b. Atque nostris
precibus adnue.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Post discessum confessoris
Anno sexto decimo
Sibi dari vas honoris
Placuit altissimo
Et levari ossa foris
Cum honore maximo.
2. Apertum est monumentum
Gloriosi corporis,
Nullum sensit detrimentum
Vetustate temporis,
Sed illaesum est inventum
Os cum membris ceteris.
3. Karlomannus ut audivit,
De regali solio
Cum uxore tunc exivit
Relicto palatio,
Ad videndum hunc transivit
Plenus magno gaudio.
4. Hunc cum coetu rex primatum
De sepulcro sustulit
Sacrum corpus praelibatum
Et cum hymnis detulit
Ad altare consecratum
Et in altum sustulit.
5. Postquam corpus collocavit
Cum suis proceribus,
Ecclesiam hanc ditavit
Magnis facultatibus,
Sic in suis honoravit
Hubertum muneribus.

Ad Benedictus.

A. Benedicta sis maiestas
Creatoris omnium,
Quae Huberto tuum praestas
Hodie palatium,
Cuius virtus et potestas
Non habet initium,
In qua nulla fit egestas,
Sed ubertas omnium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

Hanc, Huberte, dedicatam
Aulam a te primitus,
Tuae quoque subarrhatam
Sepulturae dotibus

Et corpore consecratam
Serva tuis precibus
Atque plebem congregatam
Hic in tuis laudibus.

Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Semin. Leodien. 6M2. A. — Brev. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Darmstadien. 349. B. — Brev. ms. Tremoniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 869. C. — Brev. ms. S. Bartholomaei Francofurten. saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 83. D. — Brev. ms. Dusseldorpinum C 60. saec. 14. E. — Vesp. ms. Franciscan. saec. 16. Cod. Bruxellen. 6434. F. — In 1. Vesp. **A** 1, 3 Attollamus praelibati AF. — **A** 1, 4 Praesulis sollemnia AF. — **A** 3, 1 genere fehlt E. — Ad Magn. **A**, 1 Plebs fidelis iucundetur AF. — Ibid. 3 Sacrum Huberti corpus AF. — In 1. Noct. **R** 1, 1 Consilio regis E. — **R** 2, 1 Summum pastorem A, Summi pastorum E. — In 2. Noct. **A** 1, 1 In lanceis resoluta E. — **A** 3, 5 sq. fehlen A. — **R** 2, 1 Post annis Christi A. — **R** 2, 3 Praesul suscepit E. — **R** 2, 7 Sic secus A, accedit fehlt A. — In 3. Noct. **R** 1, 5 ad aram E. — **R** 3, 1 Dum mors A. — Prosella fehlt E. — In Laud. **A** 2, 4 Vetustate corporis E. — **A** 3, 1 Karlemagnus A, Karolus magnus E. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** 1, 1 O Huberte F.

42. De sancto Iacobo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloriosa splendet orbi
Beati fides Iacobi,
Pro qua caesus ab Herode
Regnum scandit ad caeleste.

Ad Matutium.

Invitatorium.

Veneremur Christum regem,
Quo Iacobus iam perennem
Promeruit regni sedem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut caelestis firmamenti
Intonuit vox Iacobi,
Dum gloriam narrat Dei.
2. Verbo Dei confirmatus
Et spiritu oris eius
Cunctis fulsit virtutibus.
3. Quod a Deo constitutus
Princeps terrae sit Iacobus,
Hermogenes sensit magus.

Responsoria.

1. Fulget sole splendidius
Inter primates Iacobus,
Qui in carne reverendam
Christi viderunt gloriam;
V. Tres prae cunctis sunt electi.
Quorum felices oculi.
2. Cum tropaeum salvatoris
Praedicaret synagogis,
Ars magorum fit obvia,
Qui docebant contraria,
V. Quos revincens per spiritum
Convertit hos ad Dominum.
3. A Iosia fune vinctus,
Ad Herodem est perductus,
Dum bibere iam felicem
Christi sitiret calicem;
V. Qui, ut Iudaeis placuit,
Hunc decollari statuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gloriosus princeps iste,
Deo coniunctus Abrahae,
Triumphato gaudet hoste.
2. Hereditatem tu, Deus,
Per Iacobum credentibus
Dedisti in caelestibus.
3. Intellexit Dei facta
Et quae de nati gloria
Intonuit vox paterna.

Responsoria.

1. Ducebatur apostolus
Ad victimam sicut agnus,
Cum videns paralyticum
Fert oranti remedium;
V. Fide plenus et merito,
Spe gaudebat in Domino.
2. Admirans Christi gratiam
Iosias poscit veniam
Clamans: o sancte Iacobe,
Fac me Christum agnoscere;
V. Fundens preces cum lacrimis
Ad pedes eius procidit.
3. Quanta refulsit gratia
Per Iacobum in Iosia,
Os eius pugnis caeditur,
Quia Christum confitetur;
V. Dignus ergo cum Iacobo
Adiudicatur gladio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ipsius namque merita
Sunt a Deo exaltata
Peccatorum fonte trita.
2. Per Iacobum in Iudaea
Lux fidei fulsit orta,
Rectis corde laetitia.
3. Christo, cuius mente tota
Servavit testimonia,
Iam corregnat in gloria.

Responsoria.

1. Iam addictum secum poenae
Dum Iacobus lavat fonte,
Christi confirmat et fide
Hoc triumphans comitante,
V. Dans oscula illi pacis
Signansque caput martyris.
2. O caritas admiranda,
Qua ferves, Christi victima,
Dum hosti poscis veniam
Regnique tecum gloriam;
V. Nunc ergo gregem adiuva,
Qua praecellis clementia.
3. Insignis athleta Dei,
Iacobus, salutare
Christi poculum, quod
par amor fratrum sitiebat,
Bibere dum meruit,
primus ad desideratam
(Regni) sedem conscendit,
torque et purpura decoratus;
V. Nos prece ducat eo,
quo gaudens ipse tropaeo.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Auctori celebres
pangat pia contio laudes,
Alternique chori
Iacobi famulentur honori.
2. Cuius in ecclesia
micat ut sol plenaque luna
Vita, fides, meritum,
virtus, doctrina, tropaeum.
3. Ad Christi vocem
cum navi retia, patrem,
Et mundo si quid
possederat, omne reliquit.
4. Cum facies, Christe,
tua splenduit, adfuit iste,
Astitit et cellae,
qua reddita vita puellae.
5. Sacra voce tonans
Iacobus signisque coruscans
Filius est tonitrus
digne cum fratre vocatus.

Ad Benedictus.

A. Iam signis et virtutibus
Hostem supplantans Iacobus,
Qui pro te fuso sanguine
Tecum regnat, Iesu Christe,
Nos ipsius per merita
Tua fac dignos gratia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dum caelestis palmes vitis,
Iacobus apostolus,
Multum fructum proferens
Praedicaret gentibus,
Reprobatus ab impiis
Capitali sententiae
Pro Christo occubuit.

Brev. ms. Plagense anni 1499. Cod. Plagen. s. n. A. — Brev. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 16. B. — Brev. ms. Pragense saec. 14. Cod. Altovaden. LXIII. C. — Brev. ms. Lambrechtense saec. 13. Cod. Graecen. 134. D. — Antiph. ms. S. Nicolai Patavien. saec. 13/14. Clm. Monacen. 16141. E. — Brev. ms S. Mariae Gedanen. saec. 15. Cod. Bibl. OO. SS. Fol. 218. F. — Brev. ms. Vedastinum saec. 13/14. Cod. Atrebaten. 676. G. — Brev. ms. Hamburgense saec. 14. Cod. Dresden. P 158. H. — Brev. ms. S. Floriani anni 1487. Cod. S. Floriani XI 414. I. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Darmstadien. 950. K. — Brev. ms. Praedicat. Wirceburgen. saec. 15. Cod. Darmstadien. 1813. L. — Brev. ms. Wingartense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 123. M. — Antiph. ms. Traiectense saec. 13. Cod. Musaei Gemanici 4984. N. — Brev. ms. Pragense. saec. 14. Cod. Augustan. 8° 28. O. — Brev. ms. Lamprechtense saec. 15. Cod. Doneschingen. 313. P. — Brev. ms. Monasticum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. Q. — Brev. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 246. R. — Brev. ms. Frideslariense saec. 14. Cod. Casselan. Fol. 143. S. — Brev. Traiectense imp. Coloniae 1517. T. — Brev. Traiectense imp. Schonhoviae 1495. U. — Brev. Argentinense imp. s. l. 1489. V. — Viatic. Wratislaviense imp. Venetiis 1501. W. — Viatic. Wratislavien. imp. Venetiis 1499. X. — Brev. Chimense imp. Venetiis 1516. Y. — Brev. Plocense imp. 15** Z.

Dies Officium gehört wie zu den verbreitetsten, so zu denjenigen, welche die gröfsten Verschiedenheiten in Anordnung und Wortlaut der einzelnen Teile aufweisen, die unmöglich alle verzeichnet werden können. Es ist nahe verwandt mit den Officien de Immaculata Conceptione (Anal. V, 47 ff.) und de sancto Gregorio (Anal. V, 184 ff.) In 1. Vesp. ad Magn. **A** steht in vielen Quellen (z. B. DEFY) super Psalmos; dann steht ad Magn. eine prosaische **A** Congaudendum est claritati tuae, Christi confessor inclite, etc. In anderen Quellen (z. B. T) steht diese **A** super Psalmos. **R** Insignis athleta Dei etc. AY; Admirans Christi gratiam etc. C. Häufig findet sich (z. B. AI) in Completorio ad Nunc dimittis **A**:

Cum prece devota famulantum suscipe vota,
Poscere non segni post mortem gaudia regni.

Invit. 2 iam plenum Y. — In 1. Noct. **A** 2 lautet in T:

Laetabitur in Domino,
Qui Philetum Dei verbo
Resolvit magi vinculo.

In 2. Noct. **A** 1, 3 triumphante Y. — **R** 1 Admirans Christi gratiam etc. ABIY. — **R** 2 Quanta refulsit gratia etc. ABIY. — **R** 3 Iam addictum secum poenae etc. ABIY. — **R** 3, 2 Per Iacobum fehlt AY. — **R** 3, 4 confitebatur AY. — In 3. Noct. **A** 1, 1 Istius namque W. — **A** 2, 3 Rectis unde laetitia W. — **A** 1, 3 eius Y. — **A** 3, 3 Ideo iam conregnat A: in saecula Y. — Statt dieser **A** Cum prece devota etc. W. — **RR** 1—3 prosaisch ABIVY; **R** 1—2 prosaisch TW. — **R** 3, 4 sitiebat fratrum ATY etc. — **R** 3, 5 Dum bibere ATY etc. — In Laud. ad Bened. **A** O beate athleta Dei Iacobe etc. prosaisch. T. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** O beate Dei athleta etc. ABIVY; G hat als zweite **A**:

Magnificet Deum fidelis ecclesia
Apostoli Iacobi celebrans sollemnia,
Qui primus in apostolis sub Herodis gladio
Coronari promeruit insigni martyrio.

Zu diesem Officium in der Regel der Hymnus: Huius diei gloria (Mone III. 104).

43. De sancto Iacobo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Donata beneficia
Colentibus sollemnia
Iacobi maioris
Pensemus cum laetitia
Psallendo laudum carmina
Nostri redemptoris.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Qui piscatorem hominum
Iacobum respexit,
Sanctorum quem tripudiis
Cum angelorum gaudiis
Caelestibus adnexit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus nato Dei
Laudum per praeconia,
Venerantes Zebedaei
Filii sollemnia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Enarrent caeli gloriam
Ob Iacobi victoriam
Verbo, quod hic eructavit,
Quo prophetas declaravit.

2. In Domino laudabitur
Mansuetus, qui laetabitur
Iacobi doctrina,
Per quam a ruina
Diaboli liberabitur.

3. Oleo laetitiae
Perunxit eum hodie
Deus, nam dilexit
Dominum iustitiae,
Servos qui perfidiae
Dicendo invexit.

Responsoria.

1. Iesu Christi famulus,
Frater Iohannis, Iacobus
Per Iudaeam praedicabat
Et ex scripturis affirmabat
Iesum Dei filium
Fore delinquentium
Redemptorem gentium.

V. Beati, qui scrutantur testimonia
Prophetarum dicentia.

2. Philetus videns singula
Iacobi miracula
Hermogeni nuntiabat
Iesum fore natum Dei,
Crucifixum quem Iudaei
Turpiter necabant,

V. Per quem lumen caecis dabat
Et infirmos hic curabat,
Hunc constanter affirmabat.

3. Hermogenes haec audiens
Zelo Philetum adiens
Fortiter ligabat,
Quod Iacobus percipiens
A vinculis eripiens
Eundem et praecipiens,
Vincto quod sic cantabat:

V. Dominus erigit elisos,
Et ipse solvit compeditos.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Psallite regi,
qui respexit
Speciem Iacob,
quem dilexit.

2. Permanet in conspectu Dei,
Veritatem namque fidei
Sanctus iste requisivit,
Per quam fideles acquisivit.

3. Iudaei linguas acuerunt
Contra sanctum disputantes,
In hoc tamen defecerunt
Scripturas patrum perscrutantes.

Responsoria.

1. Hermogenes videns vanam
Artem suam, christianam

Fidem mente induit
Et chartas, quibus magica
Perfecit maleficia,
Submergendo respuit;
V. Aspernans saeculum
Secutus est apostolum
Verumque Deum coluit.

2. Iudaei dum viderent istum
Magnum praedicantem Christum,
Iacobum ceperunt,
Quem adeuntes: quare Iesum
Praedicaret cruce laesum,
Secundum legem audierunt;
V. Qui ex prophetis retulit
Et fructum Dei contulit
Populo, quod credidit.

3. Iudaeorum labia
Dei replevit gratia
Per Iacobi doctrinam,
Qui clamabant paenitenter:
Baptizemur diligenter,
Ne tradamur in ruinam,
V. Ut per Christum renovemur,
Fide Christi gloriemur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic docuit diligere
Nos Deum, non extollere
Cor nostrum exaltando,
Pauperes reficere.
Cunctis benefacere
Semper miserando.

2. Adnuntiavit gloriam
Caelorum et iustitiam,
Quam populi viderunt,
Cum Christum induerunt.

3. O Domine, iustitiam
In Iacob tu fecisti,
Thronorum in laetitiam
Dum eum assumpsisti.

Responsoria.

1. Iacobus dum ducebatur
Decollari, curabatur
Homo paralyticus,
Quod Iosias videns signum,
Fune trahens hunc benignum,
Effectus est catholicus;
V. In Christo Iesu est renatus
Et pro Deo decollatus.

2. Dum Iosias benedixit
Christo, pontifex tunc dixit:
Ni Iesu maledixeris
Et eum abnegaveris,
Cum Iacobo decollaberis.
V. Iosias inquit: maledicti
Sint dii tui et convicti,
Iesu nomen benedictum
Ab aeterno sic est dictum.

3. Diem festum celebremus,
Exauditam quo videmus
Apostolorum matrem,
Bibentes namque calicem
Sedent cum sanctis invicem
Apud summum patrem;
V. Ut ibidem congaudere
Sanctis valeamus vere,
Iesu, mala fac deflere
Nosque sibi consedere.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Plebem terrae tunc firmavit
Iacobus, cum enarravit
De Christo testimonia
Facta credibilia.

2. Viri fratres, hic narravit,
Deo, qui nos liberavit,
Iubilate, quia lavit
Oves. quas daemon prostravit.

3. Terra deserta floruit
Et germen Deo praebuit,
Plebem cum Iabob docuit
In tantum, quod paenituit.

4. Domino benedicite,
Hic inquit, et diligite,

Iesum, quem illicite
Negastis, nunc induite.

5. Laudate Deum gloriae,
Per quem assumptus hodie
Servus est fidelis,
Qui oret, ut laetitiam
Donet et nobis gratiam
Dominus de caelis.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
Tuo namque numine
Iacobus erexit
Assedentes umbrae mortis,
Viae pacis ut consortes
Forent, sic direxit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Huius sancti gloriose
Rutilat sollemnitas,
Quem assumpsit vigorose
Caelis Dei bonitas,
Ut ibi nos radiose
Illuminet divinitas,
Pro nobis oret studiose
Iacobi sedulitas.

Cod. Beverin. 672. saec. 15. — Am Schlufs: „Explicit historia de sancto Iacobo, edita Hildesem anno Domini MCCCCVI ad festum beati Iacobi maioris a quodam, nomen cuius monstrat hymnus vesperalis, scripta Hildesem per Tidericum Lindemann in scholis ecclesiae Montis sancti Manritii extra murum civitatis Hildesem.“ Das Akrostich des bezeichneten Hymnus lautet „Ghiselerus“. Dieser war Dechant des Stifts St. Mauritii auf dem Berge. Lüntzel, Gesch. d. Diöcese und Stadt Hildesheim II. 375: „An etwas Wissenschaftliches erinnert einmal in all diesem wüsten Treiben . . ., dafs der Bischof im Jahre 1405 genehmigte, dafs eine neu herausgegebene Geschichte des Apostels Jakobus des Älteren, welche beginnt: Donata beneficia und worüber Professoren der Theologie dem Bischofe Bericht erstattet hatten, in der Kirche des hl. Moritz sowie in anderen Kirchen seines Sprengels gelesen und gesungen werde, wobei er jedem, welcher sie lese oder singe, einen vierzigtägigen Ablafs von der auferlegten Bufse zugesteht.“ Der Name Giselers (auch wohl Giseke und Ghyseke geschrieben) kommt mehrfach in Urkunden vor bis zum Jahre 1423; vgl. Döbner, Urkundenbuch der Stadt Hildesheim III, No. 15, 634, 670, 984, 1107. — Hymnen: Ad Vesp.: Grates demus et cantemus (Anal. XXIII, 198); ad Laud.: Huius diei gloria (Mone III, 104).

44. De sancto Iacobo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lux et decus Hispaniae,
sanctissime Iacobe,
apostole Dei,
qui inter apostolos
primatum tenens
primus eorum martyrio
laureatus es,
o singulare praesidium,
qui videre meruisti
redemptorem adhuc mortalem
in deitate
mirabiliter transformatum,
exaudi preces tuorum servorum
et intercede pro nostra salute
omniumque populorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum adoremus
Et Iacobum invocemus
In conspectu Domini.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. O Iacobe
supplantans vitia,
Cuius orbis
gaudet memoria,
Roga Christum,
det nobis gaudia.
2. Christus tecum
Iairi filiam
Resuscitat
dando laetitiam,
Praebe nobis
iustitiae viam.
3. Defunctorum
resuscitatio,
Infirmorum
mira curatio
Et daemonum
tu es fugatio.

Responsoria.

1. Sanctus vocatus a Deo
Reficiendo retia
Spreto patre Zebedaeo
Ipse reliquit omnia.
V. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.*
2. Monte Thabor sublimatur
Cum fratre Petro socio,
A nube hic obumbratur,
Dum fit transfiguratio.
V. *Nemini dixeritis visionem, quam vidistis.*
3. Facta est tibi missio,
Infirmorum curatio
Et daemonum fugatio,
Corporum suscitatio.
V. *Ite, mundate leprosos, paralyticos curate.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hermogenes
quae male gesserat
Arte sua
et praedicaverat,
Annullasti
et, quae is scripserat.
2. Per te plebi
fit reseratio,
Scripturarum
adnuntiatio,
Nativitas
et Christi passio;
3. Reseratur
et resurrectio
Et ad caelos
mira ascensio.
Hinc bacchatur
nefanda natio.

Responsoria.

1. Iudaea et Samaria
Per te praedicatur,
Cuius corpus Gallicia
Possidens ditatur;
V. *Magna est gloria eius in salutari tuo.*
2. Hermogeni fert Philetus,
Quod sacris scripturis fretus
Sanctus nequit superari
Et per ipsum vult salvari.
V. *Nam de ventre eius fluent aquae vivae.*
3. Ab Hermogene figitur
Philetus nec erigitur,
Qui sudario tangitur
Et ad sanctum revertitur.
V. *Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tu traderis custodia
Post haec Herodis curia,
Te iudicat vox impia.
2. Paralysi dissolutus
Per te redditur solutus,
Dum ad necem tu es ductus.

3. Per quem funis collo datur,
Scriba a te baptizatur,
Una tecum decollatur.

Responsoria.

1. Per daemones adducitur
Magus, cuius ars fallitur,
Per Iacobum convertitur
Et a plebe insurgitur.

V. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.*

2. Collo funus imponitur,
Ad Herodem perducitur,
Decollari praecipitur,
Ad martyrium ducitur.

V. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.*

3. Martyr primus efficitur
Apostolorum igitur,
Contra hostes perfidiae
Stet pro nobis in acie.

V. *Esto nobis turris fortitudinis a facie inimici.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Corpus sine remige
Positum maris flumine
Hispaniae est latum.

2. Lapis, super quem ponitur,
Cedens ut cera funditur,
Ei dat locum latum.

3. Regina Lupa dicitur,
A qua sepulcrum petitur,
Haec tandem baptizatur.

4. Largiendo palatium
Et dedicans coenobium
Ab hac mire dotatur.

5. O Iacobe mirabilis,
Qui tot fulges miraculis,
Deum redde placatum.

Ad Benedictus.

A. Gaude. trina machina
Mundi, cum Hispania,
Cuius teris limina
Consequendo gaudia
Iacobi ob meritum,
Cuius tot miracula
Orbem replent gloria,
Qui tergens piacula
Nobis det suffragia,
Deo demus canticum.

Brev. Augustense imp. 15**. — In 3. Noct. A 2, 1 Vir paralysi. — In 2. Vesp. ad Magn. A wie in der 1. Vesper.

45. De sancto Iacobo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Collatum miseris
fidum refugium,
Collaudat Iacobum
coetus fidelium,
Ut eius assequi
possit auxilium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

1. Invitati exsultemus
Et patrono iubilemus
Et ad eum conclamemus:
Ave, frater Christi.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In omnem terram exiit
A sono praedicantium
Sponsus, gigas et thalamus
Et cursus eius spatium.

2. Novi patres docuerunt,
Quam dulcis esset Dominus,

Quando eum gustaverunt
Qui se ferebat manibus.

3. Pro patribus sunt filii,
Quos summus princeps principes,
Lux vera lumen saeculi
Et iudex fecit iudices.

Responsoria.

1. Quam efficax
sit virtus fidei
Ad vincendas
vires diaboli,
In Phileto
satis apparuit
Per virtutem
nostri apostoli.

V. *Dominus solvit compeditos, Dominus erigit elisos.*

2. Hermogenes
addictus fidei
Per alumnum
suarum artium
Iam astruit,
quod exprobraverat,
Iesu Christo
dans testimonium
Per Iacobum.

V. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

3. Veritatis
assertor Iacobus
Dum Iudaeos
errantes arguit,
Coram scribis
et sacerdotibus
Confiteri
Christum non timuit;
A concilio multo

V. *Non abscondi misericordiam tuam et veritatem tuam.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Elegit nobis Dominus
Hereditatem propriam,
In qua suos congregaret
Secum in sinum Abraham.

2. Dedisti, Domine,
Nomen tuum timentibus
Dies super dies,
Te semper contuentibus.

3. Nuntiarunt apostoli
Dei nostri magnalia,
Quorum fructus est aeterna
Post spem sanctam laetitia.

Responsoria.

1. O respectus pietatis,
quo Iosias commutatur
Et, quem fune prius traxit,
morientem comitatur;
Sic Zebedaei filius
ab Herode decollatur

V. *Calicem salutaris accipiens et nomen Domini invocans.*

2. Decollatum ab Herode
Alumni suscipiunt
Et ad mare deportantes
Cum eo suffugiunt,
Donec Deo conducente
Ad portum perveniunt.

V. *Viam fecisti in mari equis tuis, Domine, propter quod ad portum perveniunt.*

3. In portu positi
clientes luminis
Templum reperiunt
antiqui numinis,
Ibi vetus
conquassant idolum
Et reponunt
sanctum apostolum.

V. *Exaltent eum in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudent eum.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In columnis ecclesiae
Confirmatis a Domino

Fracto cornu superbiae
Vera fit exaltatio.

2. Illuxerunt orbi terrae
Miraculorum fulgura,
Quae maxime commendabant
Apostolorum tempora.

3. Exaltate sancti montes
Sanctum sanctorum omnium,
Cuius caelum facta sedes,
Terra pedum subsellium.

Responsoria.

1. Post temporis
transactum spatium
Devotio
crescens fidelium
Sancto sanctam
fecit basilicam,
In qua colit
hanc gemmam unicam.

V. *Inventa una pretiosa margarita abiit et emit hanc gemmam unicam.*

2. O lucerna, quam superna
Lux illustrat gratia,
O oliva semper viva
Profluens clementia,
Fac nos vere, fac sincere
Laudes tuas prosequi,
Ut post mortem sanctam sortem
Mereamur assequi.

V. *Ierusalem, quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipsum.*

3. O columna
sincerae fidei,
Quam martyrum
circumstant cunei,
O Iacobe,
spes et refugium
Fideliter
tibi astantium,
Serves, sancte,
sanctam ecclesiam
Et propellas
omnem molestiam.

V. *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Mirabilis
matris praesumptio,
Quam praesumpsit
pro suo filio,
Ut concederet regnum.

2. Reprimitur
matris praesumptio,
Prudentia-
que magisterio:
Nescitis quid petatis.

3. Siscitati,
si possent calicem,
Passionum
sanctarum indicem,
Respondent possumus.

4. Bibetis ait veritas,
quod vobis propinabitur,
Sed sedere est eorum,
quibus a patre dabitur.

5. Felices oculi,
quos illustravit visio,
Quam Christi contulit
sancta transfiguratio.

Ad Benedictus.

A. Ave, pater,
nostra protectio,
Noster amor
et consolatio,
Assistentes
tuo servitio
Fac immunes
ab omni vitio.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. O suavis
et mira gratia,

Quae dat nobis
certa praesidia,
Ad quae nostra
currat infirmitas,
Quandocunque
premit necessitas.

2. Hodierna
dies est gaudii
Et augmentum
magni praesidii,
Qua consessum
Christi promeruit,
Qui calicem
bibisse potuit.

3. Qui conscendit
ad sedem gloriae,
Sit patronus
huius familiae
In perpetuum.

4. Sancte frater salvatoris
Et lucerna mirabilis,
Cuius honor, cuius amor
Est gratus et amabilis,
Audi tuos et conserva
Suavitate solita.

5. Iacobe, qui Christi
calicem patiendo bibisti,
Iucundo festo,
pater o specialis, adesto.

Ad Magnificat.

A. Magnificet
pia familia
Pium patrem
pia laetitia,
Ut per eius
obtentam veniam
Consequamur
et veram gloriam.

Antiph. ms. Sedunense anni 1319. Cod. Valerian. s. n. A. — Brev. ms. Gebennense saec. 15. Cod. Gebennen. ml. 36b. B. — Brev. ms. Montis Iovis saec. 15. Cod. Valerian. s. n. C. — Breviarium Sedunense imp. Basileae 1497. D. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. E. — Ad Matut. Invit. 3 clamemus B. — In 1. Noct. **A** 1, 1 exivit E. — **A** 1, 2 Sonus praedicantium B. — **A** 3, 2 principes fehlt B. — In 2. Noct. **A** 3, 1 Nuntiaverunt E. — **R** 3, 8 sanctum Iacobum apostolum E. — In 3. Noct. **R** 3, 11 Ut propellas E. — In Laud. **A** 1, 5 Ut cum sederet BE. — In 2. Vesp. **AA** Super Ps. fehlen BE.

46. De s. Iacobo Interciso.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

O beate intercise,
Factus civis caelestium,
Consors gratiae divinae
Obtinuisti bravium,
Ubi regnas sine fine,
Ora pro nobis Dominum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem
adoremus martyrum,
Qui hodie
coronavit Iacobum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Plaudat mater ecclesia
In interciso martyre,
Chorus frequentet cantica
De tam sollemni palmite.

2. Nobilissimis exortus parentibus
Uxorem sanctam habuit,
Divitiis spretis ac honoribus
Pro Christo mori voluit.

3. Hic censetur similis
Iacobo maiori,
Sed totus adhaesibilis
Iacobo minori.

4. Hic oratione facta
Hostem devicit perfidum
Ac eiusdem pedis planta
Calcat et hunc igniferum.

5. Reverenter tumulatur
Hic sanctus in Persia,
Ubi magna congregatur
Christianorum copia.

6. Sanctus iste Iacobus
Vocatur intercisus,
Nam quilibet est digitus
A manibus divisus.

Responsoria.

1. Zebedaei Iacobus
maximus vocatur,
Sed Alphaei minor
pastor consecratur,
Iste Nazarenus
a praeside vocatur,
V. Ambo fratres Domini
Amboque discipuli,
Sed iste servus Iesu Christi.

2. Iacobus residens in petra,
fundatus est [in gratia],
Qui abhorrens quaeque taetra
Mundana sprevit vitia
Facieque iugi laeta
Sacra vixit munditia.
V. Sit tuarum, obsecro,
Lacrimarum rivus
In corde lapideo
Maeroris motivus.

3. Vere dux novus dicitur,
Per quem fidelis pascitur,
Claris lustratur moribus
Mundi spretis honoribus:
V. Hic attritus martyrio
Clamat voce magna,
Dum privatur digito:
Tu facis mirabilia

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nazarenus iam vocatur
Spiritus sancti flamine,
Dono gratiae donatur
Divino spiramine.

2. Vita sancta duplicatur,
Postquam martyrium sustulit,
Sanctitasque serenatur,
Dum gloriosus obiit.

3. Mortem esse somnum clamat
Inter tormenta crudelia,
Quem et angelus confortat
In mirabili constantia.

4. Stans inter homines feroces
Totum se Deo dedicat
Et sacros rutilans sermones
Terrena quaeque abdicat.

5. Decollatur intercisus
Circumstante populo,
Aperitur paradisus
Ascendente Iacobo.

6. Hunc membratim absciderunt
Carnifices de Perside,
Et primates annuerunt
De civitate Alape.

Responsoria.

1. Dum semivivus corpore
Sanctus constringebatur,
Foras intenso vulnere
Totus destruebatur,
V. Manibus abscissis,
Genibus demolitis,
De tam crudeli turbine
Christum precabatur.

2. Hora mortis adclamasti:
Iste carcer sit solutus,
Et semivivus tu dixisti:
Rex Persarum sit confusus;
V. Spiritus meus ad te veniat
Et tecum in sempiternum vivat.

3. Felix pater, quod figuras
Carnificibus praedicasti,
Felix martyr, quod scripturas
Abscissis digitis allegasti,
Tu deridens blandimenta,
Tu subridens iam tormenta.

V. Iesus, Mariae filius,
Te vocavit Iacobum,
Ut esses suus servus
Te dixit intercisum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Iste novus martyr novo
Martyrio decoratur,
Inter sanctos sanctus solio
In caelesti coronatur.

Responsoria.

1. Manuumque pedum digiti
Frustratim abscinduntur,
Humeri, crura et lacerta
Busto evelluntur,
Quot scripturas abscissis
digitis allegasti.
Precemur ergo Iacobum,
Ut intercedat
pro nobis ad Dominum.
V. Iste sanctus
magnus reputatur,
Cum in caelo
martyr coronatur.

2. Hic simplex, rectus, humilis,
Dei cultor amabilis,
Inter adversa patiens,
Inter prospera sapiens.
V. Hic literas habuit
A matreque uxore
Et subito ingemuit
Attritus dolore.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Intercisus iam perfectus
Credit cum mente solida
Et virtute circumsaeptus
Praebet salutis monita.

2. Laetus in caelis iubilat,
Quia laetus servivit,
Et inter sanctos rutilat,
Dum in caelos introivit.

3. Manuque crure abscissis
Instat bellator strenuus,
Contra hostem, regem Persis,
Pugnavit miles optimus.

4. Te benedicunt
cunctae creaturae,
Teque commendant
divinae scripturae.

5. Tuis, pater, sic assiste
filiis precantibus,
Ut locetur chorus iste
Sanctis in caelestibus.

Ad Benedictus.

A. O beata provincia,
O beata ecclesia,
In qua intercisi
fulget memoria,
Beatus locus
honorans martyrem,
Beatus clerus
exaltans praesulem,
Felix pater,
succurre miseris,
Ut felices
iungamur superis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beate Iacobe intercise,
Qui providentissime
Errorem cognoscendo
Et amare flendo
Nunc cum Christo thronum tenes
In caelesti curia,
Servorum supplicantium
Exaudi preces,
Ut perfruamur gratia.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 456.
A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup.

457. B. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 1 O beate Iacobe intercise AB. — In 1. Noct. **R** 2, 6 vivit A. — **R** 4 prosaisch AB. — In 2. Noct. **A** 4, 3 lies ruminans sermones? — **R** 3, 10 intercisus AB. — **R** 4 prosaisch. — In 3. Noct. ad Cant. **A**, 3 sq. Inter sanctos sanctus in caelesti solio coronatur. AB. — **R** 2 und 4 prosaisch. — **R** 3, 1 simplex et rectus AB. — In Laud. **A** 3, 1 Manuque crure dextris iam abscisis AB. — **A** 4, 2 creaturae prudentissime A. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 9 gratia.

47. De sancto Ioachim.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, flos patriarcharum,
Ioachim,
Cuius est Maria
et Christus gloria,
Nos hic [mala]
turbant multiplicia,
Accelera
nobis remedia,
Ut sint accepta nostrarum
laudum cantica.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo Iesu iubilemus
Et psallamus pariter,
Cuius avo laudem demus
Ioachim hilariter.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Patriarcha Ioachim
Merito beatus,
Qui in via Domini
Stetit sublimatus.

2. Praesul bona Ioachim
Spernit et deridet,
Sed, qui caelis praesidet,
Sanctam mentem videt.

3. Voce magna Dominum
Invocans auditur,
Ad salutem omnium
Voto stabilitur.

Responsoria.

1. Lux est orta
verae laetitiae,
Sit mens laeta
expers maestitiae,
Hunc Ioachim
colamus hodie,
V. Ex quo natus
flos innocentiae,
Vitae salus
arrhaque gloriae.

2. Concelebret
haec nostra contio
Festum Ioachim cum tripudio,
Cuius salvet
mundum cognatio,
V. Nam generavit nostro saeculo
Dei matrem
sine piaculo.

3. O Ioachim,
electe caelitus,
Ex te ad vitam
est nobis reditus,
Unde caeli
gaudet exercitus.
V. Nobis, saevis
dum hic ab hostibus
Impugnamur
et carnis aestibus,
Da, resistemus castis actibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocavit Dominum
Ioachim cum luctu,

Cui fuit postmodum
Gaudium de fructu.

2. Gloriatur plurimum
Ioachim fidelis,
Qui per Christum Dominum
Triumphat in caelis.

3. Perfecisti, Domine,
Sterilis decorem,
Quae divino munere
Mundo dedit florem.

Responsoria.

1. O reorum
dulce refugium,
Pater sancte,
confer auxilium
His, quos triste
gravat exsilium,
V. Ut laudemus
illius filium,
Cui astant
milia milium,
Ut impendat
[his] patrocinium.

2. Pater alme,
digne memoria,
Mundum levans
post fata tristia,
Cuius proles
reparat omnia.
V. Datur cunctis
salus et gratia,
Quam producis,
ex dulci filia.

3. Firma fide crede,
ne sis ultra dubius,
Annae uxoris tuae
intumescet uterus,
Non dolebis, sed gaudebis
immunis opprobrii;
V. Saram, Rachelem recole,
Fidenter de montibus descende.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iste sine maculis
Iugiter incessit,
Nunc in tabernaculis
Sanctis requiescit.

2. Praevenisti, Domine,
Ioachim et Annam
Gratiae dulcedine,
Gignentes Mariam.

3. Omnes ergo celebrent
Te patrem felicem,
Qui dedisti perditis
Dei genetricem.

Responsoria.

2. Ave, pater,
nunc in sublimibus
Natae iunctus,
tuis fac precibus,
Ne serpentis
laedamur morsibus,
Quo fraus primis
venit parentibus.
V. Tu nunc sanctis
praesidens omnibus,
Da post mortem
iungi caelestibus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ioachim praenobilis
Induit decorem,
Administrans singulis
Gratiae splendorem.

2. Per eum reducitur
Annus iubilaeus
Cuius ex progenie
Venit homo Deus.

3. Columba revertitur
Ramum dans olivae,
Ioachim dum nascitur,
Flos virtutis divae.

4. Lignum vitae attulit
Labenti naturae,
Cuius fructum concinunt
Omnes creaturae.

5. Laus et honor Domino
In excelsis detur,
Qui per germen Ioachim
Perditis medetur.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus
Visitans nos comminus
Sua miti gratia,
Ioachim qui precibus
Et sanctis nos actibus
Collocet in patria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificamus, Ioachim,
Te avum Iesu Christi,
Apostolos duodecim
Tempore praeiisti,
Tu radix es plantaria
Palmitum nobilium,
Tu cella es vinaria
Paterque floris virginum,
Ora pro nobis Dominum.

Brev. Romanum imp. Parisiis 1531. — Invit. 2 psallemus. — In 1. Noct. R 3, 8 fehlen zwei Silben; hic ab ergänzt. — Die 3. Nokt. hat nur zwei RR, von denen das erste prosaisch ist. — Hymnen: In 1. Vesp.: Gentes redemptae plaudite; ad Noct.: Plaude mater ecclesia; ad Laud.: Laetetur caeli curia; Anal. Hymn. XVI. Nr. 302, 303, 304: in 2. Vesp.: O pater summe Ioachim puellae; Dan. I, 264.

48. De sancto Ioachim.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O Ioachim laudabilis
Et Anna venerabilis,
Praesens nostra laudatio
Sit vobis supplicatio,
Ut per vos liberemur
A malis et salvemur.

2. Hi res suas, quas habebant,
In tres partes dividebant,
Templo, sibi, pauperibus
Rectis divisionibus,
Bonis oblationibus.

3. Sic Deo sancte vixerunt,
Prole tamen caruerunt
Per annos quasi bis denos,
Ob hoc sibi luctu plenos.

4. Hi a sacerdotibus
Ob hoc obiurgati,
Quod fructum non fecerunt
Prolis deitati,
Sed a Dei angelo
Pie consolati
Sunt, quod natam gignerent,
Mundi salvatricem,
Nostram caram dominam,
Dei genetricem.

5. Hi promissionibus
Plene iucundati
Collaudabant Dominum,
Et ut pietati
Suae nos concilient,
Ipsi sunt rogati.

Ad Magnificat.

A. Avete et salvemini,
Gaudete et laetamini,
Orti de radice Iesse,
Felices parentes Mariae,
Ioachim et Anna,
Post longam sterilitatem
Sancto angelo vobis
Promittente fecundationem
Ex vobis prodiit virga
Virgo dulcissima Maria,
Quae sola sustentat
Nostrae miseriae ruinam.
Celebrantibus ergo
Vestri memoriam
Nobis impetrate gratiam
Et misericordiam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Deo cuncti iubilemus,
qui cuncta creavit,
Qui in caelis Ioachim
et Annam beavit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Parentes christiferae
Deo placuerunt,
Nam in eius legibus
Semper studuerunt.

2. Disciplinam tenuerunt,
Deo semper servierunt,
Bona summa meruerunt.

3. A Deo praecogniti
Sunt et praeamati,
Pio quoque Domini
Vultu praesignati.

Responsoria.

1. Felices felicibus
Sunt ex genitoribus
Ioachim et Anna,
Quorum nata dignior
Cunctisque beatior
Nobis dedit manna,
V. Nati regali
stirpe quoque pontificali.

2. Stirpe David clara
Ioachim, Ioseph generati,
Nobis divina
praestent modo dona rogati;
V. Hi sunt mirandi
virtutibus ac imitandi.

3. Inter plures natos David
Nathan numeratur,
Quo descendit Ioachim,
Quo Maria datur.
V. Stirpe sed ex Aaron
[descenderat] Anna beata.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mane Deo astiterunt,
Bona cuncta didicerunt,
Et in his exercitati
Sunt in caelis collocati.

2. Domine, tu gloria
Magna coronasti
Parentes christiferae
Vereque beasti.

3. Parentes christiferae
Sunt immaculati
Verisque virtutibus
Valde decorati,
Hinc in tabernaculo
Dei collocati.

Responsoria.

1. Hi quidquid habuerunt
Et poterant habere,
In tria diviserunt
Et sic distribuere
Templo, sibi, pauperibus,
Istis divisionibus
Peroptime vixerunt.
V. Sancte vixerunt,
ut eos patres docuerunt.

2. Patriarcharum semine,
Prophetarum origine,
Regum atque pontificum
Genus vernat magnificum,
Unde virgo concipitur,
Quae Christi mater eligitur.
V. Nobilis et clara
stirps est Domino quoque
cara.

3. Stirps David atque Levi
plus digni, plus et amati,
Semper coniugia
fuerant miscere parati,
Hinc et cognati
fuerant quasi iure notati.
V. His Ioachim natus
fuit Anna Iosephque beatus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sperantes in Domino
semper conservantur,
His et Deus adhaeret,
ne commoveantur.

2. Parentes christiferae
iustos atque rectos
Condecet laudatio
veluti perfectos.

3. De virtute in virtutem
Gressus direxerunt,
Dei matrem virginem
Tandem genuerunt.

Responsoria.

1. Per multos annos steriles
Hi duo permanserunt,
Hinc preces lamentabiles
Deo saepe fuderunt,
Per Dei tandem nuntium
Laetum sumpserunt nuntium
De sibi danda nata,
V. Quam matrem Christo gignerent,
Qua patefacta fierent
Nobis regna beata.

2. Regia stirps et pontificalis
lege vetusta
Sucti contrahere
fuere conubia iusta,
V. Ex his sunt nati
Ioseph atque Maria beata.

3. O beate Ioachim
Et Anna beata,
Laudes et servitia
Nostra Deo grata
Sint et vobis, petimus,
Atque postulata
Conferatis commoda
Regnaque beata.
V. Vos prece pulsamus,
ut salvemur[que] rogamus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus christiferae
Parentes decorem
Induit sanctissimae
Vitae dans nitorem.

2. Iubilemus Domino
Laete serviendo,
Mariae parentibus
Iuge congaudendo.

3. Deus in te sperantibus
Et ad te vigilantibus
Pro Mariae parentibus
Assis momentis omnibus.

4. Deo nos benedicimus,
Quod Mariae parentibus
Virtutum dedit munera,
Qui nobis pacis foedera
Det atque regna supera
Per eorum precamina.

5. Deum collaudent omnia
Pro parentum memoria
Mariae, quorum precibus
Summis iungamur civibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus in aeternum
solus Deus omnium,
Qui suorum pia vota
suscipit fidelium,
Dum parentes theotocae
tales fecit laudibus,
Iungeret et sociaret
ipsos summis civibus.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Ioachim et Anna sunt
et erant beati
Viis suis omnibus
ut immaculati
Et Domino grati,
bona nunc precare parati.

Ad Tertiam.

A. Legem Dei retinebant
scriptam suis cordibus
Et se semper exercebant
in bonis operibus,
Hinc christiferam gignebant
nutricem fidelibus.

Ad Sextam.

A. Parentes christiferae
nunquam defecerunt,
In Dei complacitis
sed semper creverunt,
Hinc poterunt praestare suis
bona, quae modo quaerunt.

Ad Nonam.

A. Dei mirabilia
valde sunt scrutati
Et sic plene mentibus
sunt illuminati,
Quod et nobis ut fiat,
ipsi sint rogati,
Ut aeternis gaudiis
fruamur beati.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Avete, sancti Ioachim
et Anna generosi,
Vos nos, qui vestris laudibus
nunc sumus studiosi,
Bonis ditetis omnibus
et sitis gratiosi,
Nobis et in auxiliis
per cuncta copiosi.

Brev. ms. Brixinense saec. 14. Cod. Semin. Brixinen. s. n.

49. De sancto Iodoco.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Exsultant caelestia
Iudoci praesentia,
Exsultent terrestria
Ipsius memoria.

2. Hic regum carbunculus,
Britannorum flosculus,
In Pontivo sedulus
Fuit Christi famulus.

3. Hic genus aquatile
Pascens et volatile
Asportatum altile
Supplantavit aquilae.

4. Panem dans per parvulas
Quattuor particulas
Pro singulis singulas
Recepit naviculas.

5. Te decet laudatio,
Qui punis raptores
Iudoci suffragio
Et sanas languores.

R. Puellam nativitas
Seu nativa caecitas
Aspectu frustravit,
Iudoci praeclaritas
Seu praeclara caritas
Illam illustravit.
O virum virtutis,
Cuius manibus ablutis
Aqua manus abluens
Fuit visum influens
Oculis delibutis.

V. Iudocus, Christi confessor,
Sit pro nobis intercessor.

Ad Magnificat.

A. Magnificat nobilitas
Iudocum confessorem,
Clarificat humilitas
Saeculi contemptorem,
Glorificat aeternitas
Dei contemplatorem.
In qua praestante Deo
Exsultabo cum eo
In salutari meo.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum iubilemus
Et Iudocum exaltemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir gloriae
Solium possedit,
Quia pestilentiae
Cathedra non sedit.

2. Quare comes fremuit
sanctum persecutus,
Non indigne doluit
languens surdis, mutis.

3. Exaudi nos, Domine,
Iudoci cultores
Et invictos sustine
Contra temptatores.

Responsoria.

1. Aspernator maiestatis,
Amplexator egestatis,
Confessor insignis,
Hortatur humilitatem,
Dehortatur vanitatem
Gestis laude dignis;
V. Ecce, magnus salvatoris
Imitator et calcator
Regalis honoris.

2. Ad caeli militiam
Regnumque supernum
Sic festinat, quod declinat
Parentelam regiam
Regnumque paternum;
V. Fugit regalis confessor,
Ne fiat regis successor.

3. Qui subiecto populo
Sub regali titulo
Posset dominari,
Solum portans baculum,
Non peram, non saeculum
Vult peregrinari;
V. Delectari potuit,
Sed in cruce maluit
Christi gloriari.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum Iudoci sanctitas
Deum invocavit,
Telluris ariditas
Fontem eructavit.

2. Verba crucis vulnerant
Avem avolantem,
Asportatum liberant,
Necant asportantem.

3. Domine, magnalia
Miranda fecisti,
Qui tot animalia
Sancto subiecisti.

Responsoria.

1. Principatum deserens
Quaerit clericatum,
Omni regno praeferens
Christi famulatum,
O sanum palatum,
Cui sapit subiectio
Supra potentatum.
V. Insignitur igitur
Signo clericali,
Tonsura praeponitur
Coronae regali.

2. Honorans ecclesias
Dominum adorat,
Explorans reliquias
Gratiam implorat;
Cur tantum laborat?
Unguenta caelestia
In terris adorat.
V. Iste Christi peregrinus
Ad caelum currit festinus.

3. Cum sacerdos ordinatur,
Immolat et immolatur,
Nam similitudini
Mortis Christi Domini
Recte complantatur;

V. In cuius argumentum
Manus Christi patet isti
Signans sacramentum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino firmiter
Iudocus confidit,
Quia sensibiliter
Manum Dei vidit.
2. Domine, quis regiam
Habitat supernam?
Iudocus, qui gloriam
Contempsit paternam.
3. Domine, nunc muneras
Aeterna salute,
Quem prius armaveras
In tua virtute.

Responsoria.

1. Hic decorat et dulcorat
Comitalem curiam,
Se minorat, sed honorat
Totalem familiam,
Cunctis orat veniam,
Cunctis redolentiam
Virtutum vaporat.
V. Gaudet domus comitis,
Felix locus, quem Iudocus
Suis ornat meritis.
2. Iste fulgens moribus
Terram ornat floribus
Sicut lux solaris,
Per aspectum virtuosum
Mare reddens fluctuosum
Sicut lux lunaris.
V. In hac via prece pia
Nos, pater, irradia.
3. In desertis militat
Virtutum venator,
Sed in caelis habitat
Dei contemplator,
Quae Dei sunt, cogitat,
Quae sursum sunt, visitat,
Donec regnum captitat
Felix triumphator.
V. Bonum certamen certavit,
Fidem vivam conservavit,
Cursum consummavit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus recte regnavit,
Cui Iudocus militavit,
Nam illius gratia
Iste vicit vitia.
2. Iubilate, sancti, Deo
Pro Iudoci mausoleo
Revelato parvulis
Non sine miraculis.
3. Deus, iste vigilavit
Et vigiles excitavit,
Quando luminarium
Accendit senarium.
4. Benedicite Iudocum
Frequentantes eius locum,
Nam oppressos liberat,
Quos hostis oppresserat.
5. Laudate Deum de caelis,
Quoniam servus fidelis
Duplicans quinarium
Intravit in gaudium.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Viatorum terminus
Et fructus laborum,
Qui videbat eminus,
Modo videt comminus
Hic flos confessorum;
O rex angelorum,
Trahe nos tractu veloci
Meritis sancti Iudoci
Ad regna polorum.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Prima sancti laus: regalem
Parvipendit gloriam;
Secunda: terram natalem
Et carnalem copiam.

Ad Tertiam.

A. Tertia: corpus castigat;
Quarta: Christo militat;
Quinta: pugnantem fatigat,
Triumphantes visitat.

Ad Sextam.

A. Sexta: virtutes registrat
In medullis intimis;
Septima: Deo ministrat,
Et octava: proximis.

Ad Nonam.

A. Nona: lucet; sed draconem
Conculcat, laus decima;
Undena: calcat leonem;
Dormit, duodecima.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Virtus temperantiae
Sanctum adornavit,
Quae concupiscentiae
Motus mitigavit.

2. Virtute prudentiae
Sanctus coruscavit,
Quando vanae gloriae
Veram praeoptavit.

3. Servavit iustitiam
Christo militando,
Gratis datam gratiam
Gratis ministrando.

4. Virtus fortitudinis
Fecit confessorem,
Hostilis certaminis
Virilem victorem.

5. Bonum est in famulo
Regem honorare,
Quem fecit in saeculo
Signis coruscare.

Ad Magnificat.

A. O pater sancte Iudoce,
Dulcis in memoria,
Sed cum Christo iam perennis
Dulcior in gloria,
Quibus ipse iucundaris
Inter caeli incolas,
Fac, ut ad caelestis agni
Admittamur epulas.

Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixinen. s. n. A. — Brev. ms. Chimense saec. 15. Clm. Monacen. 5306. B. — Brev. ms. Eberspergense saec. 15. Clm. Monacen. 5968. C.

In 1. Vesp. **A** 5 O beate pater Iudoce etc. prosaisch. A. — **R**, 1 Puellam caeca nativitas A. — **R** in 1. Vesp. prosaisch C. — In 1. Noct. **A** 1, 1 sq. vir solium gloriae B. — In 2. Noct. **A** 1, 2 Deum fehlt B. — **R** 3 Iste fulgens moribus etc. B. — In 3. Noct. **A** 1 Domine quis regiam etc. B. — **A** 2 Domine nunc muneras etc. B. — **A** 3 lautet in B:

Domini possessio
Dicendus est locus,
Quem suo praesidio
Tuetur Iudocus.

R 1 Cum sacerdos ordinatur etc. B. — **R** 2 Hic decorat et dulcorat B. — **R** 2, 1 refulgens B. — **R** 2, 2 ornat moribus A. — **R** 3 lautet in B:

Iudocum in varia
Cellarum cellaria
Christus introduxit,
Ubi multifaria
Virtutum donaria
Eidem influxit;
V. Pinguescunt desertae cellae
Fluentes lacte et melle.

In allen drei Nokturnen hat C verschiedene u. zw. prosaische **AA**. — Ad Horas **AA** nur in B. — In 2. Vesp. Super Ps. **AA** nur in B. — Ad Magn. **A** lautet in B:

Iudoce, pater inclite,
nos serves a ruina
Nosque frui facias
gratia divina.

Zu diesem Officium gehört der Hymnus: Sancta mater ecclesia (Anal IV, 165). C giebt einen andern Hymnenanfang: Plaudat chorus, nicht aber den Hymnus selbst.

50. De sancto Iodoco.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gemma sacerdotum,
famulantum perfice votum,
Exue peccatis,
Iudoce, gregando beatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

De confessoris
resonat vox cordis et oris
Iudoci meritis,
hodie qui redditur astris.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ortu regalis,
summo regi specialis,
Regna caduca fugit
Iudocus et avia quaerit.
2. Intrat Pontini
confinia melle superni
Dogmatis imbutus,
Domino servire paratus.
3. Dat panis quartas
Christo sub paupere totas,
Respondit placidus
navalis copia donis.

Responsoria.

1. Sanctus Dei saeculum
Spernens habitaculum
Quaerit extra populum,
Quietis umbraculum;
V. Nam turbae turbatio
Fit orbis orbatio,
Palus in palatio.
2. Vere pisces et pennata
Victum quaerunt de sacrata
Confessoris dextera,
V. Feritatis sunt oblita
Quaevis animantia.
3. Ducem sitis urit gravis,
O quam Deo vox suavis
Orans cum fiducia:
Terra sentit violentum,
Dum percussa dat fluentum
Sitis in remedia;
V. Dignum Deo veneratur
Dux, qui tantus comprobatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Copia signorum
vexamen agit populorum,
Longius abscedit,
coluber vetus in pede laedit.
2. Ad sua vota locum
tandem reperit placiturum,
Iude petit Romam
Martinum visere papam.
3. Papae consultor
cellae redit ad sua cultor,
Caecae natura
cuius fit lotio cura.

Cod. Praedicatt. Vindobonen. s. n. add. saec. 14. — Dies Officium steht auf Vorsatzblättern; das weitere fehlt.

50 b. De sancto Iodoco.

Antiphonae.

1. Veneremur veneranda
Iudocum memoria,
Cuius instat celebranda
Dies plena gratia.

2. Ex illustri vir sacratus
Procedens origine,
Mente totus elevatur
Morum fulsit culmine.

3. Mundi calcans et honorem
Temporalem propere,
Paupertatis amatorem
Se probavit opere.

4. Instar Christi fugiendo
Regis gubernacula
Sprevit magis adpetendo
Deserti latibula.

5. Hinc sacerdos consecratus,
Sacris totus deditus,
Sacer mansit vir sacratus
Sacra dote praeditus.

6. In figura colubri
Coluber antiquus
Pedem Dei famuli
Momordit iniquus.

7. Multa passus ab eodem
Per binum septennium,
In totali pace tandem
Diem clausit ultimum.

8. Signis in vita claruit
Crebris et miraculis,
Morbus et languor paruit
Viri Dei virtutibus.

Responsorium.

R. O celebrandum hodie qui sic in terra fulserat,
Puella lota facie aqua, qua manus laverat,
Visus laetatur specie, quae caeca nata fuerat.
V. O Christi compar in hoc miraculo,
Oppressis malis (ope) succurre sedulo

Orat. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — Aufser diesem Bruchstücke eines dritten Reimofficiums auf Iudocus hat uns der Codex auch den Anfang eines Hymnus (wenn diese Bezeichnung der Hs. nicht irrig ist) auf denselben, leider nur eine Strophe, bewahrt:

Proles regis et reginae
Fastum regni respuit,
Regnum durans sine fine
Adipisci studuit.

51. In Decollatione s. Iohannis B.

In 1. Vesperis.

A. Verba viri sapientis
Stimuli sunt imprudentis
Et clavi fixi in altum,
Inde praecursor Domini
Mortis datur examini
Per turpis feminae saltum.

Ad Magnificat.

A. Rex Herodes metuebat
Iohannem, nam hunc sciebat
Virum iustum, sanctum, pium,
Quo audito bona multa
Fecit, sed haec sunt sepulta,
Cum plus amaret vitium,
Miser enim desipuit
Infelixque demeruit
Aeternae vitae bravium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum veneremur.
Ipsi semper modulemur,
Ut baptistae sociemur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Misit Herodes rex manus
Ac tenuit praecursorem,
Quia vecors et profanus
Fratris duxerat uxorem.

2. Iohannes etenim dixit,
Huic non esse fas habere
Coniugem fratris, dum vixit,
Nec se illi commiscere.

3. Herodias exhinc odit
Sanctum et illi foveam
Aperuit et effodit,
Sed haec incidit in eam.

Responsoria.

1. Ob vanam mundi gloriam
Natalis rex memoriam
Sui laetus celebravit
Et Galilaeae iudices,
Tribunos atque principes
Ad epulas invitavit.
V. *Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius.*

2. Dum intrasset convivia
Herodiadis filia,
Coram Herode saltavit
Et placuit principibus
Simulque recumbentibus,
Tota domus cachinnavit.
V. *Quoniam cor eorum vanum est, respexerunt ad vanitates et insanias falsas.*

3. Herodes volens placere
Puellae coepit vovere,
Illi prorsus se daturum
Munus, quodcunque peteret;
Si partem regni peteret,
Se nequaquam negaturum.
V. *Dilexit verba praecipitationis et loquebatur in idipsum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Illa matrem sciscitatur,
Quidnam esset petitura;
Herodias hanc affatur:
Non sit tibi regni cura.

2. Sed caput Iohannis petat;
Sic mulier impudica,
Quia sanctus mala vetat,
Mortis eius fit amica.

3. Nec sensit huius ratio,
Praeoccupatus a morte
Iustus in refrigerio
Manebit felici sorte.

Responsoria.

1. Puella mox regreditur,
Caput Iohannis petitur
Ut afferatur in disco,
Ficte coepit rex tristari,
Verumtamen iubet dari
Quasi rem de suo fisco.
V. *Concepit dolorem et peperit iniquitatem, convertetur dolor eius in caput eius.*

2. Tunc misso spiculatore
Baptista sanguinis rore
Fuso martyr efficitur,
Decollatur in carcere
Ab impiorum genere,
Mors eius parvipenditur.
V. *Aestimatus est cum descendentibus in lacum, factus est sicut homo sine adiutorio.*

3. Cum accepisset puella
Caput latum in scutella,
Dedit illud matri suae;
Ipsa laeta pro munere
Non curavit de scelere
Neque de futura lue.
V. *Nam hominem iniustum mala capient in interitu.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Audierunt discipuli
Beatissimi praeconis
Necem sui didasculi,
Triumphum quoque agonis.

2. Et corpus eius tulerunt
Cum summa reverentia
Illudque sepelierunt
In Sebaste Samaria.

3. In curriculo temporis
Iuliani apostatae
Ossa sacrati corporis
Gentiles sparserunt late.

Responsoria.

1. Cremantur loca iterum,
Et reliquias cinerum
Sparserunt in auras venti
Tabescentes invidia
Pro insignium gloria
Collata ingratae genti.
V. *Percussit Dominus omnes adversantes ei sine causa, dentes peccatorum contrivit.*

2. Sed Deus, factor omnium,
Ad suorum solacium
Fecit prorsus non privari
Tantis orbem reliquiis.
Nec passus est ab impiis
Fidelium spem frustrari,
V. *Memor congregationis suae, quam possedit ab initio.*

3. Dum ossa sacra tollerent,
Ut ea flammis urerent,
Quidam Ierosolymitae
Admixti colligentibus
Nonnulla his torpentibus
Occulebant sollicite.
V. *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Truncato in Arabia
Praecursore tumulatur,
Caput eius in Aelia,
Quae Ierusalem vocatur.

2. Illuc orandi gratia
Duo monachi venerunt
Sub principis monarchia,
Quem Marcianum asserunt.

3. Iisdemque baptista Christi,
Caput suum revelavit,
Sed hoc perdiderunt isti,
Et eorum spes nutavit.

4. Nam dum incauti nimium
Circa commissum fuere,
Talis thesauri pretium
Meruerunt non habere.

5. Post haec vero fit perlatum
In Emissam Phoeniciae
Et in urna conservatum
Sub terra nimis impie.

Ad Benedictus.

A. Illuc denuo monstratur,
Qui in specu morabatur,
Marcello cuidam abbati,
Transfertur honorifice
Ab eodem pontifice,
Qui praeerat civitati.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Praeco superni iudicis,
Praecursor summi vindicis,
Paranymphus sponsi veri,
Multa passus ludibria
Triumphavit per omnia,
Nec potuit aboleri
Domus in petra posita,
Nam iusti recordatio,
Pigmenti compositio
Ut mel dulcis et musica
In vini convivio.

Brev. ms. Verdense saec. 15. Cod. Berolinen. Fol. 380 Nr. 1 A. — Brev. ms. S. Wiperti saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 189. B. — Brev. ms. Hamburgense saec. 14. Cod. Dresden. P 158. C. — Brev. ms. Lubicense

saec. 15. Cod. Lubicen. ol. 62. D. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Monasterien. 201 (204). E. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Darmstadien. 950. F. — Brev. Hamburgense imp. s. l. 1507. G. — Brev. Monasteriense imp. s. l. 1489. H. — Brev. Verdense imp. s. l. 1480. I. — Brev. Bremense imp. s. l. et a. K. — Viat. Hildesheimen. imp. Lipsiae 1516. L. — In 2. Noct. **A** 1, 1 sciscitabatur D. — In Laud. **A** 1, 2 Praecursor EG. — **A** 3, 1 Hiisdemque AEH, Isdemque G.

52. De s. Iohanne Baptista.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

1. Vox iucunda, cor exsultans,
Vultus laetus nil occultans
In se maesti, tanti festi
Psallant in obsequium,
Quo fit caelo gaudium.

2. Haec est dies, quam sacravit
Praecursoris et beavit
Mors pretiosissima,
Mors aeterna laude digna,
Mors, quam vitae probant signa,
Signa praeclarissima.

3. Carcer in palatium,
Luctus in solacium
Iohannis mutatur,
Festum in supplicium,
In luctum dominium
Herodis firmatur.

4. Ave, dulcis patriarcha,
Fluctuantes nos in arca
Iugi sub diluvio,
Morte vitam da beata
Terminari, quam beata
Subsequatur visio.

Ad Magnificat.

A. O Christe mirabilis,
Cuius inscrutabilis
Via sapientiae,
Decus innocentiae,
Iohannes Baptista,
Vitae magisterium,
Factus improperium,
Legis agonista,
Cuius in derisum
Petulantis feminae
Caput est praecisum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Agno Dei, regi magno,
Quem Iohannes praedicavit,
Iubilemus Domino.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir beatus zelo legis
Arguit nefarias
Nuptae fratris nuptias
Et incestum regis.

2. Rex adversus aequitatem
Legis subsannator,
Adversatur veritatem,
Sceleris amator.

3. Insurgit hinc nequitia,
Virtus tribulatur,
Capitur iustitia,
Pietas ligatur.

4. Conturbatur Herodias
Et in sanctum Dei
Gravi corde meditatur
Dolos et insidias.

5. Herodes, vir sanguinum,
Vitiorum fautor,
Patronus facinorum,
Criminis est autor.

6. Deus admirabilis,
Qui post ignominiam
Donas sanctis gloriam
Et per patientiam
Humiles coronas.

Responsoria.

1. Mysterio mirabili,
Quo conceptus sterili
Caelitus donatur,
Ex grandaevis nasciturus,
Quantae puer sit futurus
Gratiae, monstratur,
V. Cuius ad indicium
Editus ab angelo
Nomen et officium.

2. Salutis puerperae
Salutantis reddere
Gestiens adfatus,
Exsultat in utero
Ac adludit puero
Puer salutatus;
V. Virginis in gremio
Sciens esse Deum,
Quod nequit eloquio,
Gestu prodit eum.

3. Iohannes dum nascitur,
Mundo novus oritur
Lucifer diei,
Lucescentis nuntius,
Viae factor praevius
Et praecursor Dei,
V. Fide patrum imbuens
Corda filiorum
Ostendit incredulis
Semitas iustorum.

4. Vox clamantis in deserto
Dum Iohannes in aperto
Herodis incestum
Arguendo frustra studet,
Induratur et non pudet
Sceleris scelestum;
V. Innocens in carcere
Clausus adligatur,
Cui furor adulterae
Mortem machinatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex natalis sui cenam
Primis et maioribus
Magnam fecit et amoenam
Galilaeae ducibus.

2. Apti diem temporis
Videns Herodias
Impudici pectoris
Intendit argutias.

3. Exsecratur sanctitatem
Absorpta deliciis
Et infamat castitatem
Delectata vitiis.

4. Testem vitae detestata,
Iohannem in carcere
Face mortis inflammata
Non timet occidere.

5. Postulata iusti nece
Insana laetatur,
Quando caput pro mercede
Filiae donatur.

6. Cuius mox discipuli
Corpus asportarunt
Et honore tumuli
Terrae commendarunt.

Responsoria.

1. Rex profanus dum servandum
Morte iusti iusiurandum
Putat, peius peierat,
Quando sacrum sacramento
Necans dono tam cruento
Saltantem remunerat.
V. Ius irridet, fas non videt,
Nefanda religio,
Dum per iocum praestat locum
Iurans homicidio.

2. Mira dispensatio
Feminae ludibrium,
Saltatricis praemium
Fit baptista Dei,
Obstupescit ratio,
Disciplinae speculum
Fieri spectaculum
Ebriae diei,
V. Castitas opprimitur,
Profanatur sanctitas
Veritas damnatur.

3. Ortus sui diem festum
Rex convivis instruit,
Sed non laute, dum incaute
Nece iusti destruit
Et fas et honestum;
V. Quis non recte dixerit
Gaudium furorem,
Ubi vino miscuit
Crapula cruorem?
4. O iubar laetitiae,
Titulus virtutis,
Qui solem iustitiae,
Dominum salutis,
In secretis uteri
Sentiens gaudebas
Et ad portas inferi
Laetus praecurrebas,
Spem redemptionis
Mortis in caligine
Nuntians absorptis;
V. Angelus officio,
Spiritu propheta,
Gabriele nuntio
Natus ex effeta.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Christi vates et legista,
Paranymphus et baptista,
Maior natis hominum,
Curae tibi Dominum
Sic sit praevenire,
Ut non nobis noceat
Illa dies irae.

Responsoria.

1. Dira fames, edax invidia
Sanctum mactat inter convivia,
Esurit plus hominem
Impudens regina
Et infelix sanguinem
Sitit inter vina.
V. Maestus vere dies festus,
Funesta societas,
Foedae dapes, iusti caede
Dum madet ebrietas.
2. Triumphator hostium,
Triumpho potitus
Carnis, mundi, daemonum
Derides garritus,
Herodes dominium
Tuum fert contritus.
V. O doctorum speculum,
Martyrum vexillum,
Virginum signaculum,
Portum da tranquillum.
3. Angelus cognomine,
Vere maior homine
Iohannes occiditur,
Pro lege paterna
Dum zelat, exstinguitur
Fidei lucerna,
V. Erat enim sanctitate
Lucens, ardens caritate.
4. Summa legis, praeco regis
Et plus quam propheta,
Via morum, dux iustorum,
Virtutis athleta,
Decollatur, caput datur
Manibus incestae,
Cuius scelus iusti zelus
Damnat manifeste;
V. Herodias imperat,
Impia scortatrix,
Et iussis obtemperat
Filia saltatrix.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Collaudemus Dominum
Omnis creaturae,
Terrae, maris, hominum,
Et vitae futurae
Regem deprecemur,
Ut exuta carnis mole
Cum baptista vero sole
Amicti laetemur.
R. Per eum, qui constituit
Te maiorem hominibus
Et universis docuit
Praestantiorem vatibus,

V. Te precamur assiduis
Nos iuva precaminibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es tu, Christe,
Verbum patris, quod baptistae
Prophetavit spiritus,
Digitus monstravit,
In fide sincera
Plebem tibi nos perfectam
In salutis viam rectam
Dirige, lux vera.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Salutaris dies ista,
Quam praecursor et baptista
Christi consecravit,
Dum pro veritate legis
Per iniqui manum regis
Mori non expavit;
Angelis laudabilis,
Nobis venerabilis,
Inferis excidium,
Desperatis gaudium
Vere nuntiavit.

Ad Tertiam.

A. Iohannes legis terminus
Et finis umbrarum,
Literae silentium
Et vox prophetarum,
Immolatur feminae,
Quando decollatur
Infestae datus innocens
Et sanctus incestae.

Ad Sextam

A. Ecce, quem divinitas
Ipsa veneratur,
Cui de caelo trinitas
Tota revelatur,
Qui per vitae meritum
Angelus vocatur,
Hic tantus ad lubitum
Feminae damnatur.

Ad Nonam.

A. Scelerati iussu regis
Dum zelator sacrae legis
Morti deputatur,
Imminente passione
Stans erectus in agone
Sic orat, sic fatur:
Meum tibi, Domine,
Spiritum commendo,
Pro cuius me nomine
Moriens impendo.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

Magnificemus Dominum,
Quem inter natos hominum
Maior necdum natus
In matre salutatus
Sciens salvatorem
Exsultans ut Domino
Detulit honorem,
Cuius veneranda passio
Nos commendet virginis filio.

Antiph. ms. Cisterciense saec. 13. Cod. Bruxellen. 268. add. saec. 14. A. — Antiph. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Pianoren. M 1. B. — Noct. ms. Veteris Montis saec. 14. Cod. Dusseldorpin. 61. C. — Antiph. ms. Veteris Monasterii saec. 15. Cod. Maguntin. 138. D. — Brev. Basileense imp. s. l. et a. E. — Brev. S. Servatii Traiecten. imp. Coloniae 1507. F. —

In 1. Vesp. A ist verstümmelt und beginnt erst mit dem dritten **R** der 2. Nokt. Die **AA** super Ps. stehen nur in A aber in 2. Vesp.; nur eine **A** super Ps. hat F: Collaudemus Dominum omnis creaturae etc. vgl. in Laud. — In 1. Noct. Da die monastische Form die ursprüngliche des Officiums ist, wird den blofsen Umstellungen von EF im folgenden keine Aufmerksamkeit geschenkt. — **A** 1, 3 Raptae fratris E. — A 2, 3 Adversator veritatis E. — **R** 1 und 2 lauten in E:

1. Infrunitae feminae
Furor inflammatur,
Dum de thori crimine
Iuste proclamatur,
Sed prophetae sanguine
Cruenta placatur,
V. Adversatrix mens virtutis
Vilipendit nec attendit
Monita salutis.

2. Rex aversa facie
Lumini rebellis,
Inimicus gratiae
Vere versipellis
Iure rupto sanguinis
Vim facit naturae,
V. Dissipator foederis,
Adinventor sceleris,
Pacis violator.

In 3. Noct. Super Ps. hat E folgende **AA**:

1. Hic prophetis altior,
Iste maior homine
Despectae despectior
Merces datur feminae.
2. Arbitrum iustitiae
Temulenti rident
Et lucernam gratiae
Immundi non vident.
3. Triste nimis epulum,
Caput in scutella,
Quod quasi ridiculum
Intulit puella.

R 2. Infrunitae feminae etc. B; in A:

R. Baptista Christi nobilis,
Amicus Christi humilis,
Tu forma sanctitatis
Pro tuis sanctis precibus
Coniunge caeli civibus.
V. Ave, fruens summo bono,
Sedens caeli solio,
Intuens divinitatem
Plenus omni gaudio.

In Laud. **R** fehlt ABEF. — Per Horas **AA** nur in A. — In 2. Vesp. Super Ps. hat B 4 **AA**, 1—3 wie E in 3. Noct. Die 4. lautet:

Rex Iohannem metuebat,
Quia sanctum hunc sciebat,
Cuius quasi stimulis
Verbis pungebatur,
Sed infelix male functus
Tanto viro nec compunctus
Mortem merebatur.

Ad Magn. **A** Iohannis legis termino CE, vgl. ad Tertiam. Vgl. die zugehörigen Hymnen Anal. XXIII Nr. 345 ff.

53. De s. Iohanne ante Portam Latinam.

In 1. Vesperis.

R. Munda caro sancti
laceranda datur flagra danti,
Et probra passa coma
ruit ad spectacula Roma,
Intrat vas olei,
vas plenum perniciei,
O vis mira Dei,
fervor oboedit ei.
V. Letum laetus init,
alacer certamina finit,
Vas fervens oleo
vicit inustus eo.

Ad Magnificat.

A. Servans virgo caelibatum
Fert libamen Deo gratum
Castitatis gremium,
Neque carne neque mente
Egit aestus hunc repente,
Ut amittat praemium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Agnum nivei candoris
Adoremus Dominum,
Virginem qui huic Iohanni
Commendavit virginum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Clarus fulget dies iste
Iohannis evangelistae
Emicans victoria.
2. Flammas olei ferventis
Virgo vincit in tormentis
Pangens Deo gloriam.
3. Ante portam hunc Latinam
Caesar egit ad ruinam,
Sed victor non laeditur.
4. Romae iubilat senatus,
Cum Iohannes liberatus
Ephesum regreditur.
5. Sicut candet carne munda,
Sic caelestis rorat unda,
Quem elegit virginem.
6. Miris declaratur signis
Refrigescit fervor ignis
Ros arcet sartaginem.

Responsoria.

1. Ante portam urbis Romae,
quae Latina dicitur,
Victor dolio ferventis
olei immittitur,
Qui senatu circumstante
illaesus egreditur,
V. Rore balsami caelestis
virgo circumfunditur.
2. In Pathmos dum relegatur
Iohannes exsilio,
Hunc divina de superris
consolatur visio,
V. Ecclesiae figuratur
status hoc indicio.
3. O dilecte Iesu Christi
Iohannes apostole,
Quae praerogativa tui
sit honoris, recole,
V. Virgine cum matre regnans
castitatis indole.
4. Annuus in hoc natali
fit concursus populi,
Festa die . . . . . .
dum in urbe Romuli
Gaudia multiplicantur
per excursum saeculi,
V. Adhuc ad laudem Iohannis
crescit laus miraculi.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quem sermonem Iesus dixit
Et spem et rem, quam praedixit,
Impleri opportuit.
2. Adveniret donec vere,
Qui Iohannem permanere
Hac in carne docuit.
3. Hic neque exustulatur
Nec tormentis terminatur
Eius innocentia.
4. Nec exsilio damnatus
Nec metallo relegatus
Migrat ad caelestia.
5. Vera pacis in quiete,
Iesu bone, bona de te
Venit invitatio.
6. Sanguinis effusione
Non fit particeps coronae
In Iohanne passio.

Responsoria.

1. Vox tonitrui tui, Deus, in rota
Iohannes est evangelista
Mundi per ambitum
Praedicans lumen caelicum,
Qui triumphans Romae lavit
In vino stolam suam

Et in sanguine olivae
Pallium suum.
V. Victo senatu cum Caesare
Virgineo corpore
Tripudiat in igne
Et in sanguine.

2. Cum pro mundo pateretur
rex Deus in homine,
Iuxta crucem eius erat
stans virgo cum virgine,
V. Christus utrique commendat
invicem ex nomine.

3. Magna mundo
gloria splenduit,
Adorari
angelus timuit,
Hoc prohibuit;
V. Hunc honorem
honori tribuit,
Homo Deus
dum carnem induit.

4. Salve, dulce melos,
illustrans lumine caelos,
Virgineum lumen,
paradisi fertile flumen,
Splendor apostolice,
Christi specialis amice,
Theologos omnes
transcendens sancte Iohannes,
V. Eloquiis claris
caeleste melos imitaris.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Discipuli Christi
dum tractant verba magistri,
Undique sermo sonat,
huic semper vivere donat,
V. Tu, Petre, me sequere,
volo sic, ait, hunc remanere.

2. Supra pectus salvatoris
in cena recubuit,
Ex quo hausit, quod ubique
populis distribuit,
V. Quo rigatus omnis mundus
ad fidem convaluit.

3. Vatis caelestis
est Pathmos insula testis,
Caelitus hic vidit,
quae sano dogmate scribit,
Ex signis ipsis
liber editur Apocalypsis;
V. Quotquot verba sonat,
tot in his sacramenta redonat.

4. Dum stupet in caelis
animus patris Ezechielis,
Res satis obscuras,
tres cernit adesse figuras,
Haec species hominis,
bovis haec erat, illa leonis;
V. Par aquilae quarta
magnalia denotat alta
Sancti Iohannis evangelistae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ecce, dies triumphalis
Diesque spiritualis
Iohannis memoriae,
Cum ex oleo ferventi
Flamma carens adurenti
Praefert signum gloriae.

2. Circumstante hunc senatu
Resultant maiores natu,
Quod liber egreditur,
Urbis Romae gaudent cives,
Gaudet pauper, gaudet dives,
Quod igne non uritur.

3. Exit dolium illaesus,
Caeli rorem spirat Iesus
Et ab igne liberat,
Nec Romanus imperator
Sicut mundi dominator
Tam potenter imperat.

4. Huius ergo nos natalis
Exuens a cunctis malis
Emundet a crimine,
Ut non urat calor ignis,
Tartara quem dant indignis
Cum mortis putredine.

5. Post mortalis vitae molem,
Ut cernamus verum solem,
Illa iuvet aquila,
Quae ad alta subvolando
Clariusque contemplando
Luce gaudet intima.

Ad Benedictus.

A. Sacramenta
die dominica
Ostensa sunt
ecclesiastica
Apostolo
in Pathmos insula
Et sanctorum
cum Christo saecula
Eorumque
clara memoria
Et, quae manet,
perennis gloria.

In 2. Vesperis.

R. Verbum bonum
caelestis nuntius
Adnuntiat
pacemque gentibus,
Praerogativa floruit
Castitatis, quam voluit.
Quam dilexit.

V. Matrem Dei inter sua
suscepit obsequia,
Ut virgini virginum
digne deserviret.

Ad Magnificat.

A. Hodie victor athleta,
Iohannes evangelista,
Caelo dat tripudium,
Hodie flamma intactus
Turba praesente senatus
Praebet mundo gaudium,
Hodie huius natalis
Splendor parit salutaris
Devotis remedium.

Brev. ms. Hollandense saec. 13. Cod. Collegii Universitatis Oxonien. 101. — In 3. Noct. ad Cant. A wie in 1. Vesp. ad. Magn. — R 2, 4 populis gentium. — In Laud. ad Bened. A, 10 clara maoria. — In 2. Vesp. R, 5 Qui praerogativa.

54. De sancto Iohanne ante Portam Latinam.

In 1. Vesperis.

A. O pium patronum,
Puer datus praesuli
Princeps fit latronum,
Iam nefandi tituli
Nefas cedit in bonum,
Post haec doctor populi
Confitetur
Sancti Ioannis donum.

V. Da nobis, Christe,
Precibus Evangelistae
Veniam, quam meruit latro
iste.

Ad Magnificat.

A. Magnificavit eum
Deus et carnis Iebusaeum
Expulit a tenero
munditiae puero,
Mente manens sana
nec adustio Domitiana
Nec mors laesit eum
corpore virgineum.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Avis volans sine meta,
Ioannes Christi athleta,

Ungitur, non uritur
Oleo fervente,
Quo iubente
Lapis in gemmam vertitur;
V. Fit et aurum silvae lignum,
O amicum Deo dignum.

2. Nascens Maria media
Gratia de gratia,
Iohannes de Anna,
Quando tonat,
Nobis donat
Verbi Dei manna;
V. Christi testis hic caelestis
Fistula vel canna.

3. In navi patrem deserens,
Deo se totum offerens,
Relictis omnibus
Navi, patre, retibus,
Coassumpto fratre
V. Mox Messiam sequitur,
Quod repromittitur.

4. Rorat caelum, nubes pluit,
Filius tonitrui
Mittit telum, hostis ruit
Sacri evangelii,
Ut tres isti
Antichristi
Ebion, Cerintus
V. Et Marcion, haeretici,
Christi crucis inimici,
Zizania seminantes
In medio tritici.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Ecce, puer praeelectus,
Puer Christo praedilectus,
Cuius cubans supra pectus
Hausit divina mysteria.
V. Videant recti
Super cor dilecti
Positum discipulum
Veluti signaculum.

2. Tuus, Christe, fuit iste
Filius materterae,
Cognatus baptistae,
Virgo manens tibi gratus,
Paranymphus pro te datus
Virgini puerperae,
V. Iohannes apostolus
Et evangelista,
Electus discipulus,
Domini symmista.

3. Aquilina facies
Oculorum acies
Direxit
In rotam solis,
Ubi verbi Dei prolis
Secreta detexit;
V. Seraphim velat
Vultum Dei,
Zebedaei
Filius revelat.

4. Hic est ille discipulus,
Quam amoris titulus
Privilegiavit,
Quem cibavit
Pane vitae et intellectus.
V. Dilectus
Haurit de plena
Vitae vena
Iohannes in cena.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Caro isti mater Christi
Verbo Domini
Commendatur, custos datur
Virgo virgini,
V. Divino consilio
Filius pro filio
Commendatur.

2. Iohannes dilectus Dei
Ob doctrinam fidei
Mittitur in dolium,
Vadit in exsilium;
Caeli dum girat ambitum,
Manna gustat absconditum,
V. Ubi Christum habens ducem
Secreta produxit in lucem.

3. Mortuam
Viduam
Post exsilium
Suscitavit
Et a morte relevavit,
Viduae filium,
Indixit ieiunium,
Rogatu fidelium
Condit evangelium,
V. Eructavit verbum bonum,
Dulcis melodiae sonum.

4. O sanctitatis cumulum,
O castitatis speculum,
O gratum discipulum,
O stupendum miraculum,
Bibit veneni poculum
Nec sentit periculum,
V. Prius stratos
A veneno vitae datos
Suis reddit suscitatos.

Ad Benedictus.

A. Cornu virtutis
Deus erigit atque salutis
In cunctis hodie
turribus ecclesiae;
Mens et vox, pange,
sub honore Ioannis evangelistae psallamus,
cui sacra vota damus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Spiritus exsultet,
modulatio laeta resultet,
Plebs canit haec hodie
cantica laetitiae,
Unde Iohanninis
precibus defende ruinis
Christe, tuum populum
daque boni cumulum.

Brev. ms. Cellae Principum saec. 14. Clm. Monacen. 7213. — Hiezu der Hymnus: Concentu iucundo (Anal. IV, 160).

55. De Reversione s. Iohannis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adest dies digna coli,
Quam agit ecclesia
In Iohannis apostoli
praeclarae sollemnia,
Empyrea summi poli
Qui novit mysteria.

2. Hic supra pectus Domini
In cena recubuit,
Discipulorum nemini
Christus in hoc adnuit,
Quippe quod fas est virgini,
Alii non congruit.

3. Veri verbi sub cantico
Vox est evangelica,
Qui de fonte dominico
Epotavit mystica,
Quorum gustu vivifico
Plebs vivit catholica.

4. Iohannes dictus gratia
Comparatur aquilae,
Virtutum excellentia
Lustrans inscrutabile
Verbum patris in gloria,
Nullum habens simile.

5. Postquam Christus occubuit
Crucis in patibulo,
Adoptionis coluit
Matrem eius titulo
Iohannes, qui praeclaruit
Virginali speculo.

Responsoria.

R. Florescentis ecclesiae
Praeco devotus et athleta,
Iohannes doctor Asiae
Sub lege nova fit propheta,
Dum apocalypsis dicta
Mundo pandit per sua scripta.

V. Hic est, quem divinitas
prae ceteris amavit
Amorisque nobilitas
Secretius locavit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

A. Christus suum discipulum
Iohannem praeamatum
Et in Pathmos ergastulum
Iniuste relegatum
Revocat ad Ephesios,
Ad eius qui adventum
Laudes dicunt atque melos
Iubili in augmentum.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

R. O Iohannes frater altissimi,
Venas divini susurrii
Nobis tua prece aperi;
V. Tu paradisi fluvius,
Torrens inundans divinitus.

R. Ecce, volat aquila,
Quo nec vates nec propheta
Volavit unquam altius,
Atque sine meta
Caeli penetravit secreta;
V. Stupet usus et natura
Iohannis eloquio,
Dum transcendit carnis iura
Dicens „In principio.“

Prop. S. Iohannis Boscoducen. imp. Antwerpiae s. a.

56. De s. Iohanne Chrysostomo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Iohannes Dei gratia
Latine interpretatur,
Qui sanctum ab infantia
Virtute comitatur.
2. Os iste tenens aureum
Chrysostomus appellatur,
Dum per dogma nectareum
Ecclesia illustratur.
3. Physim spernens sophus iste
Sic contemplatur Dominum,
Diaconus tibi, Christe,
Corda subiecit hominum.
4. Praesul hic aequiparatur
Iohannes aequo nominis,
Actus vita dum aemulatur
Eorum in vestigiis.
5. Evangelistam dictando,
Baptistam praedicando
Hic Chrysostomus sectatur
Et utrique ieiunando,
Plebis scelus excrepando
Par maxime conabatur.

Ad Magnificat.

A. Magnificet Dominum
Per quadri orbis terminum
Mens pura, illustrata
Per Iohannis dogmata,
Qui luxit ut sol in mundo,
Scripturarum de profundo
Plebi vulgans mystica,
Aurum adaugens argento
Duplicatoque talento
Serens dicta pistica,
Quem in caelis laureatum
Cum electis petimus,
Nobis ut reddat placatum
Omnipotentem precibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Concordes vitae
sanctae iubilando venite,
Chrysostomoque dignum
resonemus laudibus hymnum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iohannes clarus
Antiochia nascitur urbe,
Dilectusque carus
Domino, placens quoque turbae.

2. Philosophiae
studium impenderat usque,
Post haec theologiae
insudans dogmatibusque.

3. Hic sobrius, castus
mundanos respuit actus,
Sic animae labem
fugiens corporis quoque tabem.

Responsoria.

1. Vir Domini Iohannes
Scientiarum amnes
Bibit a pueritia,
Libros perlegens auctorum
Collegit virtutes morum,
Mundi detestans vitia,
V. Methodo sophiae
tenuit moderamina piae.

2. Naturalibus imbutus
Iohannes bonae indolis
Et perfecte delibutus
Philosophiae poculis
Brevi sub compendio
Fruens mundi stadio,
V. Virtutum flores
decerpens nobiliores.

3. Regnantibus Arcadio
Pariterque Honorio
Et Damaso pontif[ice]
[Civit]ati praesidente,
Romae Iohannes repente
Fungitur episcopio.
V. Constantino sede
figitur in praesulis aede.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic clericorum
vitam corrigere volens
Mox perversorum
vanum odium quoque dolens.

2. Hospitalitatis
ieiunus nilque ferebat,
Sed sobrietatis
stomacho caputque dolebat.

3. Propter sermones
dignas et praedicationes
Plebs eum dilexit,
aemulantum ora despexit.

Responsoria.

1. Constantinopolitanus
Praesul Iohannes per manus
Cleri in phoenice luxit
Idola dissipando,
Veram fidem propugnando
Ecclesias construxit,
V. Gentis barbariem
convertens in veram fidem.

2. Chrysostomus fortissimus,
Zelo fidei ignitus,
Orthodoxorum templa
Prohibuit dari vanae
Archihaeresi Arianae
Pauli sequens exempla,
V. Conculcans haereses
sic Christo contrarientes.

3. Oratio pervigilis
Chrysostomi Iohannis
In Bisanto emicuit,
Angelorum exercitus
Armis monstratus caelitus
Igne urbem eripuit,
V. Sic prece pastoris
locus defensatur honoris.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Doctorem senem
reprobare volens Arianum

Iohannes invidiam
mortem patitur quoque diram.

2. Concelebrant synodum
praesides, sed inique deponunt ·
Exsulem Chrysostomum,
proscriptum longe reponunt.

3. Scelus idolatriae
praesul spernendo reginae
Effigiem reprobat,
sed iram regiam concitabat.

Responsoria.

1. Celebrant concilium
Praesules et exsilium
Praeelegit vir beatus,
Sed per populum devotum
Ob hoc nimium commotum
Ad sedem est revocatus;
V. Urbis terra mota
fit iniqua damnatio nota.

2. Curam agens pastor gregis
Uxorem offendit regis
Novam edens homiliam,
Rursus vicit Herodias,
Ob hoc passus insidias
Clientum et contumeliam,
V. Sed Deus pastorem
defendit per inferiorem.

3. Os auro derivans
aurora dogma propinans,
Egregie doctor,
scripturarum mellifluis auctor,
Iohannes, clerum,
plebem protegeque severum
Iudicem in caelis
precibus placa tu vere tuis,
V. Ut donet miseris
aeterna gaudia nobis,
Qui tua mente pura
celebrant sollemnia mira.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Iohannes in exsilium
Denuo relegatur,
Ubi Ponti confinium
Imperiique putatur.

2. Ubi corpus castigando
Spiritum subegit,
Nova scribens meditando
Volumina exegit.

3. Demum datus dedecori
Evertit acrimenta
Praesul poenam iniungens ori
Aurea conscripsit elementa.

4. Vehuntur cruciatus
Hic capitis dolore,
Tandem caelo sublimatus
Est maximo decore.

5. Caeco visus conceditur,
Leprosus mundatur,
Iohannes Christo iungitur,
In caelo iubilatur.

Ad Benedictus.

A. Plaga recens incubuit,
Dei iram erubuit
Constantinopolis alta,
Luxit aether, nam doctorum
Auget sidus nunc oratorum,
Ubi aeterna merita
Beatificant requie
Iohannem solamine.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Advehitur bonus caelis
Doctor electus flamine,
Gaudet honore Iohannis
Chrysostomi laudamine
Mater, novis opusculis
Praedita quaestiunculis
Redimivit suis te voluminibus
Christe, hymnorum zematibus.

Brev. ms. Curiense (?) saec. 15. Cod. Arch. Sangallen. Fabarien. IX. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 7 fulgans. — In 2. Noct. **R** 2, 4 cane. — In 3. Noct. R 2, 4 Cursus vixit. — **R** 3, 2 dogmata. — In Laud. **A** 4, 1 Lies Provehuntur? — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 7 Redimuit.

57. De s. Iohanne Clusoniensi.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, Sion,
ornata tympano,
Plaude novo
perfusa balsamo,
Ipsum lauda
chordis et organo,
Cuius sponsa
venit a Libano.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad regem vitae
digna cum laude venite,
Qui palmam regni
tribuit supra aethra Iohanni.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir, qui non abiit
in malorum consilio,
Sed in lege Dei coluit
illius meditatio.

2. Quare fremunt populi
vana meditantes?
Exaltabit Dominus
in ipso sperantes.

3. Cum invocat, exauditur
Iohannes a Domino,
Et in pace in id ipsum
regnat sine termino.

4. Verba sancti percipit
clamorem intellegens,
De mundi miseria
pauperem hunc erigens.

5. Domine, Domine,
quam admirabilis
Es in hoc praesule
atque laudabilis!

6. Confidens in Domino
transmigrat in montem
Et venire meruit
ad salutis fontem.

Responsoria.

1. Ecce, verus et sincerus
Vir Israelita,
Sine fraude dignus laude
Fulgens eremita,
Christo carus, signis clarus
Verbo, mente, vita;

V. Inter mundi strepitum
Stat pastor insignis,
Sed in igne positum
Non exurit ignis.

2. Exspectante populo
sacram unctionem
Matrona cum filio
benedictionem
Exspectat pontificis,
sed mox laesionem
Mortis subit parvulus
per oppressionem;

V. Clamat mater misera,
currit vir beatus,
Fusa prece parvulus
mox est vitae datus.

3. Fragrat virtus arboris,
manat vis unguenti,
Laudibus attollitur,
fit res nota genti,
Sed aurem non adplicat
famae discurrenti
Nec fidem adhibuit
vana promittenti.

V. Petit sanctus eremum
spreta mundi gloria
Et relicto pallio
fugit ab Aegyptia.

4. O praesul, Italiae
decus speciale,
Quem ornat iustitiae
superhumerale,

Quem caro non allicit
vel solum natale,
Nobis, pater, impetra
regnum aeternale.
V. O intactae fili matris,
miserere miseris
Atque prece sancti patris
nos coniunge superis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, qui habitas
in monte salutis,
Nos per sancti merita
fac heredes lucis.
2. In virtute, Domine,
tua gloriatur
Sanctus, cuius hodie
festum celebratur.
3. Tua est o, Domine,
terrae plenitudo,
Cuius archipraesulis
fulget sanctitudo.
4. Benedicam Domino
tempore perenni,
Qui caeleste bravium
contulit Iohanni.
5. Te decet in Sion
hymnus, o Domine,
Qui sanctum collocas
in caeli culmine.
6. Confiteri bonum est
tibi, Iesu bone,
Qui ornasti praesulem
corona gloriae.

Responsoria.

1. Sunamiti puerum
reddit Elisaeus,
Sycomori culmina
ascendit Zachaeus,
Relicto teloneo
praedicat Matthaeus,
Hoc in sancto praesule
repraesentat Deus;
V. Matri reddit puerum,
eremum conscendit,
Spretis lucris saeculi
ad superna tendit.
2. Dum membra lectulo
daret post laborem,
Immisit in eum
Dominus soporem,
Astat angelus
indutus decorem,
Ut cellam construat,
monet confessorem;
V. Pellitur dubietas
trina visione,
Et iussis obtemperat
cum devotione.
3. Invictum aggreditur
opus eremita,
Sed obstat archangelus,
ne res fiat ita,
Nam nocturno tempore
ligna levigata
In montem oppositum
nocte sunt translata;
V. Admiranti Dominus
columbas transmisit,
Quas sequens mox repperit
opus, quod amisit.
4. Felix locus,
felix ecclesia,
In qua sancti
viget memoria,
Felix terra,
quae dedit praesulem,
Felix illa,
quae fovet exsulem,
V. Felix, pater,
succurre miseris,
Ut felices
iungamur superis.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. O lampas ecclesiae,
Speculum virtutis,

Astanti familiae
Fer opem salutis,
De lacu miseriae
Et de luto faecis
Nos educ sanctissimae
Interventu precis.

Responsoria.

1. In vicino positus
pontifex cum clero,
Ut sacraret cellulam,
ecce, facto sero
Ardere conspicitur
mons Pirchirrianus,
Fit clamor in populis,
sursum levant manus;
V. Facto mane pontifex
montem petit altum
Et invenit caelitus
locum consecratum.

2. Admiratur populus
ruens in clamorem,
Novum cernens fluere
olei liquorem,
Madent linteamina.
sudat pavimentum,
Salubre languentibus
dans medicamentum;
V. Qui fontem in eremo
de petra produxit,
Hic in montis vertice
oleum eduxit.

3. De cisternae latebris
Ioseph est sublatus
Et in regni solio
nunc est sublimatus,
Finitur feliciter
eius incolatus,
Nostros prece sedula
diluat reatus;
V. Cursu felicissimae
vitae consummato
In sinu recipitur
Abrahae beato.

4. O oliva semper viva,
Dulcis et fructifera,
O lux clara, Christo cara,
Fulgens super aethera,
Nobis fessis et oppressis
Per peccati pondera
Esto, comes, dux et comes
In hac valle misera;
V. Iam cum Christo gloriaris
fracta domo testea,
Tuos non obliviscaris
pressos mole carnea.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ampullae medium
vino vix replente
Potavit plurimos
liquore crescente.

2. O felix pontifex,
per cuius merita
Defuncto corpori
est vita reddita.

3. Blasphema mulier
amittit loquelam,
Sed sanctum invocat
mox sentit medelam.

4. Christum benedicite,
terra, mare, caeli,
Qui dedit victoriam
praesuli fideli.

5. Laudemus Dominum,
qui palmam gloriae
Beato praesuli
contulit hodie.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Deus Israelis,
Qui pro vita saeculi
descendit de caelis,
Cui offertur hodie
sacerdos fidelis
In manu signiferi
sui Michaelis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificet Dominum
omnis creatura,
Quem eductum hodie
de carnis pressura
Vir beatus conspicit
iam non in figura,
Sed eius perfruitur
visione pura.

Brev. ms. S. Michaelis de Clusa saec. 14. Cod. Taurinen. D VI 11. — In 1. Noct. R 1, 7 strepitus. — R 1, 9 positus. — In 2. Noct. A 3, 3 archipraesuli. — A 3, 4 wieder plenitudo. — R 2, 9 Pellit. — In 3. Noct. R 1, 5 conspicit. — In Laud. A 3, 4 wieder loquelam.

58. De s. Iohanne Eleemosynario.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Diem hanc condignis
Veneremur laudibus,
Qua miris clarus actibus
Migravit in patriam
Ioannes eleemosynarius.
2. Vir erat sanctus opere
Et aspectu angelicus,
Erat integer corpore,
Consilio magnificus.
3. Quem Alexandria praesulem
In honore tenuit
Et patriarcham inclitum
Ceu numen caeli coluit.
4. Hunc claritas generis
Quamvis fecit spectabilem,
Immensa tamen pietas
Cunctis reddit amabilem.
5. Fulsit orbi celebrior
Plenus virtutum actibus,
Pietate sublimior
Cunctis pristinis patribus.

Ad Magnificat.

A. Sanctus Iohannes eleimon,
Piis plenus operibus,
Feneratur Domino,
Sciens eleemosynis
Peccata purgari,
Secutus misericordiam
Aeternam invenit gloriam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus Domino,
Qui viam salutarem
Populo demonstravit
In Ioanne eleemosynario.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocabat Dominum
in opportuno tempore,
Dum omnia distribuit,
aderant plura propere.
2. Ad clamorem pauperum
manum reserabat,
Exaudiri meruit,
quotiens clamabat.
3. Nomen admirabile
pietatis largitate
Eleimon obtinuit
in terrae universitate.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Caeli tabernaculum
Cultor misericordiae
Ingressus secure,
Nam puritas et pietas
Et decor iustitiae
Erant sibi curae.

2. Adiutus virtute Domini,
Caritatis opera
Fideliter operatus,
Caelesti laetitia
Iuxta desideria
Non fuit frustratus.

3. Innocens manibus
Et mundo corde vixit
Ille vir beatus
Cui merito Dominus
Large benedixit,
Et propter opera pia
In regna caelestia
Illum introduxit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Iohannes eleemosynarius,
patriarcha laudatus,
Egit vitae seriem
egenis miseratus.

2. Quem in visu mater Domini,
olivae serto fulgida,
Amare se admonuit
corde et mente cupida.

3. Caritate mox ignitus
pia resolvit viscera,
Ut pauperum miseriis
occurrat larga dextera.

4. Hinc famentes pascere
Vir sanctus nunquam desiit
Et egenis succurrere
Flagrans semper expetiit.

5. Hunc laudat ecclesia
Pietate
Viventem per saecula
In regno.

Brev. ms. Cracoviense anni 1443. Cod. Capit. Cracovien. 23. add. saec. 15/16. — Alle im Vorstehenden fehlenden Teile prosaisch. — Vgl. hiezu den Hymnus Anal. IV Nr. 298.

59. De s. Iohanne Gualberto.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Summi regis militi
Cum nefando Giezi
Proelium committitur,
Victor Iohannes exstitit,
Hostis ruinae patuit.

2. Pyrae grandes ignium
Fervide consurgunt,
Piae preces hostium
Cuneos confundunt.

3. Transit Petrus hilaris
In medio torridae molis,
Cuius pili poderis,
Dictu res mirabilis,
In nullo laeduntur.

4. Pallianti scelera
Perniciosa nimis,
Erubescenti postea
Seriatim omnia
Pater patefecit.

R. Iubilemus exsultantes
omnes summo gaudio,
De superno venit pater
Christi fretus clipeo,
Qui purgavit Simoniae
sacra templa nubilo,
V. Firma fide loricatus
est amore fervido.

Ad Magnificat.

A. Felix in uberi
posita montium
Vallis egregia
protulit lilium,
Iohannem, gratia
quippe mirificum,

Cuius in aula
dicasti catholicum,
Pater aeterne, collegium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem adoremus
Celebri laetitia,
Qui Iohannem exaltavit
Supra caeli sidera.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inclitus ecclesiae
Protector surgit ab hoste
Athleta nempe strenuus,
Iohannes, Christi famulus.

2. Iuventutis florem gerens
mundi vana respuit,
Tactum Christi veritate
verus amor imbuit.

3. Quidam feritatis
Stimulus invasit,
Carum interficere
Iohannis est ausus
Parcit pater libere
Cruce visa in pectore.

4. Libertati postquam
hostem condonavit,
Intra templi ianuam
oraturus ivit,
Curvam sibi
crucem adoravit

5. Sic adflatus, roboratus
Christi documentis,
Iuxta votum intrat locum
Sancti Miniatis.

6. Sumpta veste desuper
aram turbulentus
Pater eius clamitat
prole destitutus,
Ad Iohannem inhiat
ut invasor promptus.

Responsoria.

1. Christi confessor inclitus,
Possessor sancti flaminis
Illuxit nobis caelitus,
Consors paterni numinis,
Vexillifer eximius
Valimbrosani ordinis,
Exemplar vitae gratius
Cunctis fuit catholicis;
V. Tamquam sidus firmamenti
Iohannes ecclesiae
Iubar ferens radianti
In virtutum lampade.

2. Homicida praedo fuit,
Cruor ense funditur,
Obviavit moribundo,
Illaesus dimittitur
Propter signum crucis dignum,
Iohannes dum intuitur.
V. In spiritali cordis ara
Holocaustum obtulit,
Dum iniquus fit amicus,
Quem ut fratrem diligit.

3. Iam imbutus ad altare
Precibus incubuit,
Cornu crucis salutare
Sibi flexum conspicit,
Unde prorsus dedicare
Christo se disposuit;
V. Caelitus adflatus
mundi calcavit conatus.

4. Dira pestis depravandi
Sacra tunc efferbuit,
Hanc Iohannes exstirpandi
David zelum induit,
Quod per legem signis plene
Omnibus innotuit;
V. Fixe tenens veritatem
Populum adloquitur,
Incurrisse pravitatem
Praesul sic convincitur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quia summo patri
totum se devovit,
Genitoris ideo
blanda non audivit.

2. Sanctis abstinentiis
carnem macerabat,
Quam ob rem validius
hostibus obstabat.

3. Labe simoniae
Praesule foedato
Petit Romaniae
Loca sancta pie
Simone relicto.

4. Demum idem rediit
Domino vocante,
Vallimbrosam adiit,
Ubi degere decrevit
Christo comitante.

5. Invictus a discipulis
Eligitur in patrem,
Quo valde turbatur
Summeque renititur
Ob humilitatem.

6. Evolat in circum
aligera fama virtutum
Iohannis miri,
quem properant visere viri.

Responsoria.

1. Peragratis undique
locis sanctitatis
Dirigente Domino
gressibus firmatis
In Vallimbrosa denique
summae deitatis
Maturavit cultibus
inservire beatis;
V. Imperans vero finem
fluidis desideriis
In Domino confidens
sanctis adiutoriis.

2. Regimen pastoris
vocatus
Ut Aaron assumpsit
Sed plurimum renitens.
Subici
Quam praefici malens.
V. Humillimus pater
Tollitur
In se delectanter.

3. Ut suavitas aromatum
Odor sanctitatis
Plurimos accedens
Ad patrem adducens
In mente coniunxit,
Qui refecti redeunt
Vanaque relinquunt
Vitae transeuntis,
V. Monitis imbuti
habitum sumpsere parati.

4. Caritatis viscera
Habens in egenos,
Quos famis inedia
Videbat exesos,
Sacro censu vestium
Adiuvat sacrarum,
Ne Christi membra languida
Perirent ex inopia.
V. Ex alta rupe quadrupedia
Prece Iohannis ruunt praecipitia.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Delirus quidam famulus,
Immersus Arni fluctibus,
Sancti Iohannis precibus
Evasit in litoribus.

Responsoria.

1. Deprecantem Dominus
Exaudivit famulum,
Dum ex alto protinus
Labitur incendium,
Pro ultione patris
Ussit monasterium,
V. Ad honorem Christi
Flammae famulatus

Multavit coenobii
Vanus apparatus.

2. Bellua quam vidit
cruenta famulus aeger,
Territus exclamat,
succurrit ilico pater,
Daemonem sic ferit,
ex cruce visio perit,
V. Impavidus exstans
quia Christi stigmata portans.

3. Missa cohorte
truculenta nimis,
Petri maligni
saginata dolis,
Templum ignitur,
monachi caeduntur,
In miseranda
clade oviculae
Christi traduntur.
V. Iohannes pater veniens,
Compassione plenus,
Avidus martyrii dolebat.

4. Felix hora dum instaret
exitus e corpore,
Maestos fratres recreavit
sacro Christi foedere,
Angelum aspiciens
scandit thronum gloriae,
Cuius prece sublevemur
in superno cardine.
V. Patris almi
Vigent illibata
Sacra membra triduo
Merito in quinto
Mense fervido
Mire conservata.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Spiritus sancti iubare
Tantum radiabat,
Ut statim prima facie
Hominis intrinsece
Arcana videbat.

2. Certamen aggreditur
Dirae vastitatis,
Pro qua refellenda
Monachus eligitur
Mirae sanctitatis.

3. Horridum examen
Ignium statuitur,
Quod a Christi famulo
Victo hoste turbido
Pro fide transitur.

4. Laboranti misero
Militi, qui in grabato
Ad exitum manebat,
Missa benedictio,
Parva panis portio
Sanum erigebat.

5. A prece patris intima
Alta ruunt fastigia,
Dum rivuli vehementia
Secuta fuit imperia.

Ad Benedictus.

A. O virum admirabilem,
Laudabilem praeconiis,
Christi thesauri scrinium
Et trinitatis solium,
Tuere nos a callidis
Hostium insidiis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Iohannes, inclite
Pater monachorum,
Super clara hodie
Sidera polorum
Vectus honorifice,
Choris decentissime
Necteris sanctorum,
Supplex sis, oramus,
Pro cunctis fidelibus
Apud regem gloriae.

Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. in. Cod. Londinen. Burn. 333. A. — Brev. ms. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. B. — Brev. ms. S. Salvii saec. 15. Cod. Riccardian. 372. C. — Brev. Vallumbrosanum imp. s. l. et a D.

In 1. Vesp. **A** 1, 2 nefando gregi B. — **A** 2, 1 Dire grandes B. — In 1. Noct. **A** 2, 3 Actum Christi D. — **A** 3, 2 Stimulis D. — **A** 3, 6 Visa cruce B. — **A** 6, 3 Parens eius B. — **R** 1, 6 Valinbrosani A. — **R** 2, 7 cordis ore B. — **R** 3, 1 ad fehlt B. — In Laud. ad Bened. hat B eine zweite **A** ad libitum:

O venerande pater
  et clemens, sancte Iohannes,
Cui crux non renuit
  Christi se flectere totam,
Ora pro populo,
  clero cunctoque rogato,
Ut meritis precibusque tuis
  valeant adipisci
Regnum caelorum,
  quod habent animae beatorum.

In derselben Quelle findet sich die folgende Antiphon ad Primam:

Simoniae nubilum
  Purgans templo Dei
Meruisti iubilum
  Patris Helisaei,
Dum, Iohannes, famulum
  Cantico tropaei
Dans per flammae cumulum
  Salvae speciei.

Auch in der zweiten Vesper wird in B ad Magnificat eine zweite Antiphon eingeschaltet:

O Iohannes, gremium
  Gregis monachorum,
Vitae posce praemium
  Plebi subditorum,
Condonans interitum
  Hosti meruisti
Inclinantis meritum
  Crucis ferre Christi.

Von B sei erwähnt, dafs sich dasselbe als 1355 geschrieben bezeichnet, indes augenscheinlich nur in Folge einer Irrung des Schreibers, dem ein C in der Feder geblieben.

60. De s. Iohanne Gualberto.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sidus Iohannes oritur
  Praeclara ex progenie,
Virtutum princeps colitur
  Ditatus divo munere.

2. Plaudat Etruria,
  Ornata floribus,
Penset et mystica,
  Coruscet moribus
Divina gratia.

3. Innocens spernit
  Natale solum,

Currit ad bravium,
Cum cernit polum,
Et fit mirificus.

4. Doctor theorice
Vitae catholicae
Spernit saeculum,
Vivit caelice
Et hoc pro summa gloria.

R. O lux mirabilis
Et immutabilis,
Iohannes, lilium
Et flos convallium,
Post donum gratiae
Confert et gloriae
In caelesti patria;

V. Summum praesagium,
Fuga contagium
Divino munere.

Ad Magnificat.

A. Salve, decus confessorum,
Lux superna beatorum,
Funde vota et suspiria
Apud Deum mente pia
Pro nobis supplicibus,
Quos acquire precibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus creatorem
Iubilantes laudibus,
Qui Iohannem confessorem
Caeli iunxit civibus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus in provincia
Iohannes puer Tusciae
Est ortus de prosapia
Spectabili Florentiae.

2. Praeventus est gratia
Superni spectatoris,
Refulget nunc in gloria
Seraphici decoris.

3. Verus crucis imitator
habet inde gratiam,
Cui caput se inclinans
agit reverentiam.

4. Pompa mundi tunc relicta
crucem iam amplectitur,
Circumcidens se Hebraeus
Christum totum sequitur.

5. Ubi Christus immolatur,
Vitae sumit habitum,
Totus Deo consecratus
Solvit Adae debitum.

6. Tunc exustus caritate
Hostia seraphica
Agit Christi largitate
Iam signa mirifica.

Responsoria.

1. Patriarcha fit Iohannes
servans Christi regulam,
Fit deinde [et] monarcha
fruens Dei gloriam,

V. Exoremus patrem patrum,
ut det nobis veniam.

2. Summum decus paupertatis
Atque patientiae,
Hic est doctor caritatis
Atque innocentiae,

V. Imitemur praeceptorem
Vitae evangelicae.

3. Hic expugnat sanctitatis
Saeva venalitia
Atque mundae castitatis
Decolora vitia,

V. Fuge, Simon pravitatis
Atque immunditia.

4. Princeps apostolicus
Fretus divo munere
Totus fit propheticus
Almo Christi germine,

V. Fulget omnes suum velle
Pro caelesti colere.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Abraham hic imitatur
Se dicando Domino
Et Isaac aemulatur
Labore longanimo.

2. Israel est videns pater
Intuens absentia,
Futura, praeterita
Clarere fulgentia.

3. Supplantator vitiorum
Iacob hic efficitur
Et Ioseph nulli castorum
Morum iam ambigitur.

4. Panem caeli prophetalem
Manducat cum fratribus
Et Heliam imitalem
Eum facit angelus.

5. Elementis dominari
Probant mirabilia,
Terra, pontus, aether, ignis
Huius patris gratia.

6. Fere martyr, doctor, virgo
Pater iste cernitur
Et cunctorum beatorum
Praemiis extollitur.

Responsoria.

1. Plaude, turba parcitatis,
Tanto ditata munere,
Laudes funde largitatis
Sacro depressas ubere,
V. Te cibante gregem sanctum
Mystico spiramine.

2. Aaron virga frondet flore,
Fagus patris cum decore
Et dat fructum cum odore,
V. Nam virtutes operatur,
Quis popellus recreatur.

3. Tamquam Ioseph dat frumenta,
Sanctus pater monimenta,
Sed non deficit sementa
Prae immensa caritate;
V. Imitemur documenta,
Ut laetemur sancta pace.

4. Dum perquirit vilitatem,
Conspicit divinitatem,
Contemplatur trinitatem
Fretus sic in iubilo;
V. Sic sequantur nati patrem,
Quantum dat permissio.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Cantet clerus melodizans
Et ordo monasticus,
Ploret daemon eiulizans
Stetque sic perterritus
A religione.

Responsoria.

1. Aqua mundus delebatur
In Noe diluvio,
Aedes fasta quassabatur
Iohannis imperio,
V. Atque imber grassabatur
Cum miro prodigio.

2. Lucta mystica Iacob fuit
Sancta contemplatio,
Quem a sensu tunc privavit
Diva benedictio,
V. Sed Iohanne reparatur
Brachii siccatio.

3. Arca legis si tangatur,
Nulli mors effugitur,
Cum hic pater adoratur,
Mentis salus redditur;
V. Perduc nos ad summum statum,
In quo Deus fruitur.

4. Adhuc exsistens in carne
Pater fit exstaticus,
Angelum videt et sensu
Et sic fit hierarchicus,
V. Qui deportet in superno,
Actus est mirificus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus regnavit
Cantemus iubilando,
Qui nos expiavit
Patrem deprecando.

2. Iubilis in mysticis
prompte imprimatur,
Per quem mens devota
digne decoratur.

3. Deus, Deus meus,
patri decantemus,
Cum sanctis patribus
semper vigilemus.

4. Benedictus pater, ora
tu pro nobis Deum,
Semper nos custodiens,
ut colamus eum.

5. Laudent Deum caeli,
spiritus iustorum
Et Iohannes inclitus
in coetu beatorum.

Ad Benedictus.

A. O sidus caelicum,
flos castitatis,
Decus innocentiae,
lux puritatis,
Lex paenitentiae
et pietatis,
Conforta nos,
Iohannes, gratia.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Primum tempus agitur
In conversione,
Cum Satan expellitur
Fracta cautione.

Ad Tertiam.

A. Tertium expenditur
Virtutes excolendo,
Atque crux amplectitur
Totum se vovendo.

Ad Sextam.

A. Sexta hora radians
Ascendit sol in centrum,
Lucifer expellitur
Et suum figmentum.

Ad Nonam.

A. Nona festum coluit
Et cumulum virtutum,
Si daemonem expulerit,
Qui facit servum mutum.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Fulget splendor vespertinus,
Firmat decor caelestinus
In gratia et gloria.

2. Vir beatus atque prudens
Sit adiutor atque ducens
Ad superna gaudia.

3. Solis ortus laudet Deum,
Qui salvavit patrem verum,
Antequam formaret eum.

4. Collaudatur gens Italica,
Facta est mirifica,
In tanto patre beatifica
Reciproco dulcore.

Ad Magnificat.

A. Rex aeterne, doctor lucis,
Dirige virtute crucis
Adoptionis, quos vocasti
Per Iohannem, quem salvasti.

Brev. ms. S. Trinitatis in Alpibus anni 1455. Cod. Laurentian. Conv. sup. 512. A. — Brev. ms. Vallumbrosanum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. B. — In 1. Vesp. **A** 1, 2 Praeclarus A. — **A** 4, 3 Spernite A. — **A** 4, 4 Vivite A. — **AA** super Ps. fehlen B. — In 1. Noct. **A** 2, 1

ad gratiam A. — **A** 5, 2 Inde sumit B. — **R** 4, 5 Fuget B. — In 2. Noct. **A** 4, 4 Ipsum facit B. — In 3. Noct. **R** 1, 3 Et des facta A. — **R** 2, 5 Iohannem A. — **R** 4, 3 Angelus A. — In Laud. **A** 4, 1 ora fehlt AB. — In 2. Vesp. **A** 3, 1 laudat B. — Ad Magn. **A**, 3 fehlt dem Sinne nach Adoptionis filios.

61. De sancto Ioseph.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ioseph exortus regia
De stirpe praedicatur,
Dignus regali gloria
In caelis comprobatur.

2. Nam sponsus erat virginis,
Quae caeli est regina,
Mater Dei et hominis
Et mundi medicina.

3. Senex expers libidinis
Puellam desponsavit,
Et virtus sacri flaminis
Hos coniuges sacravit.

4. Sine carnali copula
Coniugium servatur,
Et germen sine macula
Divinum procreatur.

5. Haec plebs Deum magnificat
Pro Ioseph dignitate,
Qui sponsum Christum typicat
In sua castitate.

Ad Magnificat.

A. Gaude, Ioseph, fili David,
Quem tam magno decoravit
Deus privilegio,
Ut sis suae matris custos,
Computatus inter iustos;
Credens Dei nuntio
Non relinquis desponsatam,
Sed in fide commendatam
Observans puerperam;
Obsecra Mariae natum,
Ut se nobis det placatum
Collocans ad dexteram.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ioseph iustus vigilavit
In timore Domini,
Christo nato iubilavit
Congaudendo virgini.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Impiorum consilium
Beatus vir despexit,
A verbis malignantium
Sponsam suam protexit.

2. Dum Christum natum perdere
Herodes cogitavit,
Hunc in Aegyptum propere
Sanctus Ioseph portavit.

3. De regno suo filius
Mariae profugatur,
Nec murmurat egregius
Ioseph dum comitatur.

Responsoria.

1. Dum virgo votum faceret,
Ut virum non acciperet,
Praesul templi tristatur,
Orans Deum consuluit,
Quis desponsare debuit
Puellam, revelatur:
V. Qui tenet sceptrum virgulae
Florentis, hic puellulae
Pro sponso comitatur.

2. Accepit Ioseph virginem
Nullam habens libidinem,
Praeceptis pariturus,

Nazareth virgo rediit,
Bethlehem Ioseph transiit
Nuptiis provisurus.
V. Ioseph quidem ignorante
Virgo fecundatur,
Gabriele nuntiante
Christus incarnatur.
3. Ioseph admirans stupuit,
Quis sponsam impraeguavit,
Sed virgo rem exposuit
Et sponso revelavit,
Qui fidem quidem praebuit,
Sed fugam cogitavit.
V. Sicut Petrus pertimuit
Dicens: recede Domine,
Sic se indignum censuit
Ioseph stare cum virgine.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ioseph vagus cum parvulo
Aegypto commoratur,
Abiectus sic a saeculo
In Deum, delectatur.
2. Faber arte lignaria
Vivebat cum uxore
Acquirens necessaria
Ex manuum labore.
3. Haec est regis familia
Ioseph cum sancta virgine.
Sic degit in infantia
Assumpto Christus homine.

Responsoria.

1. O Ierusalem filiae,
Ecce, regina gloriae
In Bethlehem ascendit,
Quam Ioseph vir oboediens
. . . . . .
Deducit et defendit.
V. En, comitiva regia
Tam parva computatur,
Mater regis eximia
Asello deportatur.
2. Ioseph dat Deo gratias
Sacras servans excubias
Nato rege Messia,
Minister fit praecipuus
Et comes individuus,
Ubi pergit Maria.
V. O paupertatis pretium,
Rex exspectatus gentium
Fecit fabrum lignarium
Esse suum nutritium.
3. Hic senex, David filius,
Paranymphus egregius,
Mariae vir electus,
Christi fidus nutritius,
Pro meritis sublimius
In caelis est provectus.
V. Inter patres computatus
Stat antiquae legis,
In conspectu laureatus
Fulget summi regis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus senex cum virgine
Tam castus habitavit,
Quod nunquam suo famine
Verbum turpe ructavit.
2. Thorum Ioseph et virginis
Sanctum et impollutum
Rore suae dulcedinis
Sacravit rex virtutum.
3. Christo regi iudicium
Ablatum est, dum exsulat,
Iam tenet regni solium
Et sanctum Ioseph infulat.

Responsoria.

1. Ex Aegypto revertentem
Nazarethque venientem
Ioseph deducit parvulum,
Cum parentibus profectus
Puer illis est subiectus.
Miretur omne saeculum.
V. Pater, mater requirebant
Hunc dolentes triduo,

Christum templo dum videbant,
Congaudebant mutuo.

2. Felix oboedientia,
Cuius virtus eximia
Effulsit incessanter
In matre atque filio,
Parent Ioseph imperio
Et serviunt laetanter.

V. Ioseph sponsam veneratur
Ministrans fideliter,
Virgo sponso famulatur,
Cum nato hilariter.

3. Salve, Ioseph, serve Christi,
Qui constanter contrivisti
Dentes detrahentium,
Pro Maria respondisti,
Cuius promptus defendisti
Castitatis lilium;
Deus summus te amavit
Et te dignum aestimavit
Suum thesaurarium.

V. Confer nobis, Ioseph pie,
Pudoris signaculum,
Offer nato nos Mariae,
Ut det pacis osculum.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Stola decoris induit
Christus suum nutricium
Et senatorem statuit
Intra caeli palatium.

2. Ioseph in patientia
Servivit in laetitia
Uxor sibi datae,
Iam astat throno gloriae
Et videt clara facie
Deum in maiestate.

3. Promissionum credulus
Messiae regnum sedulus
Sitiebat dicendo:
O si vivens inspiciam
Completam Dei gratiam
Et psallam congaudendo.

4. Messias in infantia,
Crescens aetate, gratia,
Cum Ioseph habitavit,
Tandem bonis operibus
Plenus Ioseph cum patribus
A saeculo migravit.

5. Carnis motus refraenavit
Hostis dolos superavit
Perfecta victoria,
In virtute consummatus
Sanctus senex coronatus
Residet in gloria.

Ad Benedictus.

A. Custos thesauri regalis,
Paranymphus nuptialis,
Eunuchus puerperae,
Pater Christi non natura,
Sed pro nutriendi cura,
Sicut tradunt literae,
Gestans typum praelatorum,
Qui sunt patres populorum
Sponsique ecclesiae
Iuste senex, placa regem,
Ut cum matre ducat gregem
Ad ovile gloriae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ioseph adrescens filius
Cum sit Christi nutricius
Fit pater plurimorum,
Mariae sponsus inclitus,
Omni virtute praeditus
Exempla praebet morum,
Carnis motus refrenavit,
Hostis dolos superavit
Perfecta victoria,
In virtute consummatus
Sanctus senex coronatus
Residet in gloria.

Diurn. ms. Brigittin. saec. 15. Cod. Colonien. 92 [Handschriftl. Nachträge zum Diurn. Colonien. imp. s. l. et a.] A. — Brev. Othinense imp. Lubecae 1479. B. — Brev. Stregnense imp. Holmiae 1495. C. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. D. — In 1. Vesp. **A** 2, 1 Iam sponsus A. — **A** 5, 3 tipificat C. — In 2. Noct. **A** 1, 4 In Deum dilatatur C **A** 2, 1 Fabri arte B. — **A** 2, 4 Manuum cum labore B. — **A** 3, 4 Assumpto Christi homine B. — In 3. Noct. **R** 2, 1 O felix oboedientia B. — Hymnen: Scriptores evangelici (Anal. XXIII, 209); ad Noct.: Ioseph fert mentem stupidam (Anal. XXIII, 209); in Laud.: Maria cur coniugio (Anal. XXIII, 210).

62. De sancto Ioseph.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Felix matrimonium
Fide, sacramento,
Neque prole vacuum,
Sed flore retento,
Vice-pater, virgo-parens,
Hic et illa labe carens,
Cum honore virginali
Cura sibi coniugali
Mutuo subserviunt
Et dulcem enutriunt
Pari voto filium,
Quorum ministerio
Latens in mysterio
Decepturus inimicum
Verum Deus et antiquum
Perfecit consilium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virgo vir intactae
genetricis caelitus actae
Regna tenet vitae,
iubilantes ergo venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ioseph in consilio
Impiorum non abiit,
Virginem cum filio
Ipse virgo dum nutriit.

2. Dum Herodes meditatur
Adversus Christum Domini,
Cum Ioseph peregrinatur
Deus cedens homini.

3. Puer Aegypto susceptus
Per Ioseph reducitur
In Iudaeam, cum correptus
Hostis morte tollitur.

Responsoria.

1. Novus novo generatur
Fructus paradiso,
Qui custodi deputatur
Caelitus proviso,
Quo serpentis elidatur
Dolus, et eliso
Protoplausto succurratur
Hinc recte gaviso.

V. *Nimis profundae factae sunt cogitationes tuae, Domine.*

2. Ex Aegypto dum vocavit
Deus pater filium,
Adoptivus hunc portavit
Pater post exsilium
Nazareth, hic habitavit
Flos campi et lilium.

V. *Dum Archelaus regnaret in Iudaea, venit Ioseph in Nazareth.*

3. Ecce, fabrum patriarcham,
Qui ecclesiae rexit arcam,
Se cum omnibus salvantem
Culpae diluvio
Gratiae cum fluvio.

V. *Quia iustus atque perfectus in generatione sua fuit.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vere singulariter
   Ipse construitur,
   Cui coniugaliter
   Virgo viro traditur.

2. Regi vero, Deo suo,
   Mane Ioseph astitit,
   Dum alumnus nato tuo,
   Virgo mater, exstitit.

3. Nomen admirabile
   Ioseph promulgavit,
   Quod prius amabile
   Gabriel vocavit.

Responsoria.

1. Hic est, cui nupsit virgo,
   Quae mundi fabrum peperit,
   Princeps saecli, Deus homo
   In quo locum reperit,
V. *Omnis homo quicunque audierit, congaudebit ei.*

2. Iacob amat ille Liam,
   Ioseph diligit Mariam
   Dei filio fecundam,
   Sed ab omni tactu mundam;
V. *Hanc amavit et exquisivit sibi sponsam.*

3. Primus Ioseph alienae
   Turpe stuprum renuit,
   Hic cum sua florem plenae
   Castitatis tenuit,
   Ille tunc Aegyptum pavit,
   Fame dum occubuit,
   Mundo granum hic servavit,
   Quod virgo progenuit.
V. *Descendit Ioseph in Aegyptum, fuitque Dominus cum illo.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In immaculata via
   Psallens intellexit,
   Qui nascentem de Maria
   Regem regum rexit.

2. Magna huius gloria
   Est in salutari
   Omnique memoria
   Digna celebrari.

3. Innocens hic manibus
   Vir et mundo corde
   Sanctum celat canibus
   Partum sine sorde.

Responsoria.

1. Hic in rubo Deum cernit,
   Quem non laesit ignis,
   Dum discalceatus sternit
   Carnem vir insignis,
   Virgo servans virginem
   Deum videt hominem
   Et Mariam sine viro
   Parientem modo miro.
V. *Vidit, quod arderet rubus et non combureretur.*

2. Adest Aaron secundus,
   Cuius frutex fit fecundus
   Prius arens, dum fit parens
   Virgo viro carens.
V. *Ascendit sicut virgula coram eo et sicut radix de terra sitienti.*

3. Saliunt in montibus
   Ioseph et Maria
   Nuptiis insontibus,
   Regit arte pia
   Sese dulcis pusio,
   Quam suavis allusio
   Cordi Ioseph fuit illa,
   Verbum caro dum pusilla
   Nunc ad eum vice-patrem
   Nunc ad sanctam repsit matrem
   Per virgineas cervices
   Gratas alternando vices.
V. *Cor et caro eius exsultaverunt in Deum vivum.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ioseph in cubiculo
Dominus regnavit,
Ubi mundo speculo
Lectum praeparavit.

2. Caeli Domino servivit
Ioseph in laetitia,
Cuius prolem Deum scivit
Integra fiducia.

3. Iste Dei gloriam
Vidit et virtutem,
Cuius ipse floridam
Pavit iuventutem.

4. Sancti benedicite
Domino et humiles,
Quem parentes caelibes
Vita sonent pariles.

5. Laudet iam christiferum
Ioseph plebs fidelis,
Qui nutrivit puerum
Dominum in caelis.

Ad Benedictus.

A. Nobis cornu dum salutis
Dominus crexit.
De domo David virtutis
Vir Iesseus surrexit,
Servans Iesse virgulam,
Floris novi gerulam,
Cui sic sanctitate
Servivit et iustitia,
Quod divinae prolis natae
Integra virginitate
Illa matris, isti patris
Praeest diligentia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominum
Sancti Ioseph anima,
Qui salutem hominum
Cura fovit maxima,
Nam in ventre matris iste
Nazaraeus tibi, Christe,
Consecratur et notatur,
Quem nec mater virginalis
Horreat nec puer talis.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 1051. B. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Turonen. 147—48. C. — Brev. ms. S. Adeodati saec. 16. Clm. Monacen. 10909. D. — Brev. Turonense imp. Parisiis 1522. E. — Brev. Carmelitarum imp. Venetiis 1579. F.

In 1. Noct. **R** 2, 1 vocaret D. — **R** 2 und 3 umgestellt D. — In 2. Noct. **R** 1, 3 saeculi A. — In 3. Noct. **A** 3, 3 edat canibus A. — In Laud. Ad Bened. **A**, 2 Domini B. — Ibid. 3 vir virtutis A. — Ibid. 4 Iesseus rexit B. — Ibid. 8 et prudentia B. — Ibid. 9 Et divinae B; proli A. — Hymnen: In Vesp.: Collaudemus toto corde (Anal. XXIII, 212); in Laud.: Festa nutritoris Iesu (Anal. XXIII, 213).

Ein vereinzeltes Responsorium humanistischen Gepräges auf denselben Heiligen bietet Antiph. ms. Hilariense V. vom Iahre 1632:

R. Illustris patriarcha Ioseph, David alta propago,
Virgineo splendore micans custosque Mariae,
Testis virginei partus Christique nutritor,
Conscie mysterii, quod nescivere priora
Saecula, tu patris aeterni verbum caro factum
Gestasti manibus, tibique subditus ultro
Dignatus fieri, nutu qui temperat orbem;
V. Quaesumus, intendas precibus miserosque benigne
Inspice nos oculis, quos tot discrimina turbant.

63. De sancto Ioseph.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetare, sponsa Christi,
alma mater ecclesia,
Sancti Ioseph, sponsae Mariae,
assunt sollemnia,
Cuius gloriosae preces
ac pia suffragia
Nos tueantur semper
et ducant ad caelestia.

2. Ioseph genitus
a Iacob erat,
Sicut Matthaeus
evangelista narrat,
Sed filius Heli a beato
Luca nuncupatur,
Quia ei secundum
legem debebatur.

3. Senex beatus Ioseph et virgo
Virginitatem suam
Ad honorem Dei
Servare semper promiserat,
Nisi Deus aliter iubeat,
Cui se totaliter commiserat.

4. Praeceptum a sacerdote
templi egreditur,
Ut quicunque de domo David
inconiugati inveniuntur,
Singuli virgas siccas
in manibus portent,
Ut appareat miraculose,
Cui virgo Maria
desponsari debeat.

Ad Magnificat.

A. Caelesti pontifex
doctus oraculo
Virgae florentis Ioseph
viso miraculo
Atque columbae
apparentis indicio
Iubet Mariam
tradi Ioseph conubio,
Ut impleatur
divina dispensatio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sponsi Mariae virginis
fulgent laeta sollemnia,
Christo devotis canticis
sancta plaudat ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum esset desponsata Ioseph
virgo Maria egregia,
Rediit interim sponsus
in Bethlehem ad propria,
Dispositurus cuncta
nuptiis necessaria.

2. Sponsa Ioseph Maria.
Virgo plena gratia,
Nazareth properat,
Septem virginum
Habens solacium
Angelica praestantur
Eidem obsequia.

3. Paratur Dei filio
Templum sanctitatis
Virginali utero,
Domus claritatis,
Cuius custos assiduus
Fuit Ioseph sanctissimus.

Responsoria.

1. Dum sponsus Ioseph sanctus
ad sponsam revertitur,
De sancto spiritu Maria
concepisse cernitur,
Haesitanti Ioseph angelus
de caelesti aula mittitur,
De filii arcano
mysterio instruitur.

V. Erat Ioseph virtute
caelesti praeditus,

Sponsae sacratae venerator
et custos sedulus.

2. In somnis apparet angelus
sancto Ioseph, cum quiesceret,
Dicens, quod Mariam in coniugem
accipere non trepidet,
Quod enim natum est
in alma virgine,
De spiritus sancti
exsistit munere.

V. Pariet autem
Maria virgo filium,
Quem vocabis Iesum,
salvatorem omnium.

3. Postquam virgo
peperit Dei filium,
Assunt angeli
collaudantes Dominum,
Pastores quoque properant,
ut cernant caeleste mysterium,
Magi adorant regem natum,
ostensum per stellae radium.

V. Ioseph, sponsus Mariae,
intemeratae virginis,
Vacat nati Iesu
et matris eius obsequiis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad templum pergit Ioseph sponsus
cum Maria et puero,
Ut secundum legem Mosaicam
eum sistant Domino,
Offerentes pro ipso hostias
creatori altissimo.

2. Senex sanctus in templo
a parentibus
suscipit puerum
Et ipse gestans eum
in ulnis suis
benedixit Dominum.

3. Implent Ioseph et Maria
cuncta legalia,
Servantes humiliter
mandata caelestia.

Responsoria.

1. In Aegyptum Ioseph fugiens
per admonitionem angelicam
Puerum Iesum accepit et
matrem eius virginem mundissimam
Moram ibidem faciens
curam gerit
pueri et virginis,
Donec per angelum
monitus venit
in terram sui generis

V. Labores pie sustinet
Ioseph sponsus Mariae,
Et Iesus matrem confovet
In huius cursu viae.

2. Genus duxit Ioseph ex regis
David prosapia,
Sanctitatis eius sequens
gloriosa vestigia,
Dignum effecit sponsum Mariae
divina gratia,

V. Pollet iustus
virtutum fragrantia,
Merita Ioseph
fulgent eximia.

3. Aeterni regis disposuit
arcana providentia,
Quod Ioseph custos esset virginis
florens pudicitia.
Quem divinae
gratiae adfluentia
Et munera
repleverant caelestia;

V. Praebet matri et puero
sanctum obsequium,
Sic enim decebat tam
benignum nutricium.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pia regina virginum
   Adest sponsi in transitu,
   Tendit Ioseph ad bravium
   Laetus et gaudens spiritu.

2. Honorat Christus Ioseph
   suum baiulum,
   Qui sedule nutrivit
   ipsum parvulum,
   Dignum in caelis sibi
   reddens praemium.

3. Intrat caeleste thalamum
   Sponsus Mariae virginis,
   Aeternae vitae poculum
   Gustat de fonte luminis.

Responsoria.

1. Angelicae revelationis
   frequenter eruditus
   oraculis,
   Ioseph felicem se putat
   pro Mariae et Iesu
   curis sedulis
   Et devotis obsequiis;
V. Gaude, sponsus
   et custos virginis,
   Sacris insistens
   mysteriis.

2. Transit sponsus Mariae
   virginis
   de hac valle miseriae,
   Fertur a sanctis angelis
   in sinum
   patriarchae Abrahae
   Et caelestis regni cum Christo
   potitur
   optata requie;
V. Exsultat Ioseph
   adiunctus
   angelorum consortio,
   Securus factus est
   de gloriae
   caelestis praemio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laetus dies recolitur,
   In quo sponsus Mariae
   Ab angelis suscipitur
   In beatorum requie.

2. Post huius mundi stadium
   Caeli potitur gaudio,
   Scandit ad vitae solium
   Cum sanctorum consortio.

3. Sancti Ioseph suffragia
   Nos tueantur iugiter
   Et ad regna caelestia
   Nos perducant feliciter.

4. Sponsus Mariae virginis
   Devotos suos protegat
   Ab hostium insidiis
   Atque virtute foveat.

5. Laudetur acter omnium
   In ista die inclita
   Qua sponsi patrocinia
   Nobis fulgent et merita.

Ad Benedictus.

A. Cum beatus Ioseph orans
   carnis deponit vincula,
   Assunt sibi angelorum
   grata obsequia
   Ipsumque deducunt
   ad quietis loca,
   Ubi exspectant fideliter
   agmina caelestia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O felix custos et sponse
   reginae virginum,
   Qui Iesum educasti, omnis
   creaturae dominum,
   Iam laetus regnas in choro
   sanctorum agminum;

Ora pro nobis assidue
patrem luminum,
Ut aeterna luce fruamur
in perpetuum.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. A. — Brev. Aquense imp. Lugduni 1499. — Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. C. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1521. D. — Brev. Tzwerinense imp. Rostochii 1529. E. — Brev. Biterrense imp. Lugduni 1534. F. — Zu diesem Officium gehören die Hymnen: In 1. Vesp.: Ioseph stirpis Davidicae (Anal. IV, 164); ad Noct.: Plaude caelestis curia (Morel 145); in Laud.: Carnis servans munditiam (Morel 146).

64. De sancta Iuliana.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Iesu, fons benignitatis,
Sponsus, decor castitatis,
Tibi grates agimus,
Iulianam qui beatam,
Genere tam delicatam,
Fovisti divinitus.

Ad Magnificat.

A. Virginis prudentia
Stupens de potentia
Veri Dei, plasmatoris
Caeli, terrae, hominis,
Mox vim quaerens nominis,
Huius templa salvatoris
Visitabat fervida,
Ut scripturae stupida
Ei foret intellectus,
Ut sic magnitudinem
Dei per formidinem
Eius collaudaret pectus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus sponsum virginum
Regnantem in perpetuum,
Qui Iulianam virginem
Effecit sibi martyrem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iuliana desponsata
Senatori iam potenti,
Christi fide sed amata
Non assensit quid poscenti.

2. Assentire nuptui
Prorsus recusavit,
Sacro quia ritui
Sponsus abdicavit.

3. Non est sponsa flexa minis
Neque patris disciplinis,
Litem sacram est congressa.
Iesum clam cum est confessa.

Responsoria.

1. Anxiata tribunali
Iussu patris est addicta,
Quae quasi pro criminali
Est atrociter adflicta,
V. Una sponsi blandimenta
Parvipendens et tormenta.

2. Virgo crinibus suspensa
Christi vocat sublevamen,
Per sex horas est offensa,
Sed mox sensit adiuvamen,
V. His suppliciis invicta
Mansit neque derelicta.

3. Incarcerata daemon intrat,
Eam ut suasu pervertat,
Sed perplexa, quisnam esset,
Christum rogat, ut adesset:
V. Hostem docta sensit esse,
Quem adprehendens indefessa.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Requisivit virgo prudens:
Hostis ferox et impudens,

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

Dic, quid es aut cur venisti?
Sic nam multos elusisti.

2. Grandi voce trux est fassus:
Sacer cohors quid est passus,
Protoparens seu seductus,
Aut tyrannus quid inductus,
Hoc feci suggestione
Meaque perversione.

3. Offendi Iob, est interfectus
Abel, Isaias sectus,
Gens infinita profanavit,
Suggestus hoc meus paravit.

Responsoria.

1. O conflictus singularis,
O triumphe puellaris,
Quae sic hostem subegisti
Sua scelera pandentem,
Ingementem atque flentem
Cunctis clamque abegisti,
V. Luto donans hunc scaenoso,
Poenam augens doloroso.

2. Radioso vultu pergit
Se responsis et immergit,
Virgo sancta Iuliana
Hostem fidei praefectum,
Sacrilegio infectum,
Clam confudit fide sana;
V. Quamvis poena foret frendens,
Minas erat parvipendens.

3. Auxit poenas mox immensas,
Quando frameas propensas
Addi factae rotae iussit,
Luctam angelus hanc diram
Machinamque vim per miram
Visibiliter concussit,
V. Vincla suntque resoluta,
Sic confusi, mansit tuta.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pulsa truculentia,
Fulta sapientia
Virgo Deum benedixit,
Psallens, orans laetius
Et expansis manibus
Oculos in caelum fixit.

2. Rupit infidelitatis
Tenebras tortoribus,
Ingerens credulitatis
Lumen oraminibus.

3. Ocius profusa prece
Protulerunt mox tortores
Voces: parvipensa nece
Facti sumus meliores.

Responsoria.

1. Miranda voce proclamarunt:
Est potens Deus Iulianae,
Protinus se subiugarunt
Religioni christianae,
V. Alter non est Deus,
Sed tantum Iulianae Iesus.

2. Exclamarunt roborati:
Paenitet nos hoc fecisse,
Ecce, sumus iam parati,
Scias fidem subiisse;
V. Infer quasvis laesiones,
Tormentorum passiones.

3. Mox praefectus his auditis
Suis nequam accersitis
Illos ense perdi iussit,
Namque virgini felici
Tam constanter certatrici
Minas poenarum incussit;
V. Tandem dire decollati
Sunt cruore baptizati.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Iussit praeses lacessitus
Supra modum succensitus
Pyram fieri perfortem,
Virgini qua daret mortem.

2. Cum haec virgo percepisset,
Quod tyrannus imperasset
Eam igne concremari,
Coepit Deum deprecari.

3. Hac donata grandi pyrae
Angelus Dei descendit
Ac illam exstinxit mire
Virginemque sic defendit.

4. Ardor ignis dum cassatus
Esset prorsus et nullatus,
Deo virgo hymnizavit,
Eam qui sic gubernavit.

5. Eam post haec ira fremens
Trux in plumbum mergi fervens
Iussit, sed mansit inusta
Haec puella praevenusta.

Ad Benedictus.

A. Ictor ense tunc vibrante
Puellaque deprecante
Collum petiit praeclarum,
Non renitens quod porrexit,
Eius mox cervicem plexit,
Sic agmen auxit puellarum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Electa virgo, martyr Christi,
Propter mortem, quam subisti,
Tuere servos te precantes;
Velut hostem tu vicisti
Et in publicum traxisti,
Iuva sic agonizantes
Tua gubernatione,
Hostis ne persuasione
Victi culpis succumbamus,
Sed invicta sis protectrix
Et post vitam pia rectrix
Ad superna, quae speramus.

Brev. ms. Voraviense saec. 15. Cod. Voravien. 268. A. — Antiph. ms. Voraviense saec. 14. Cod. Voravien. 29. add. saec. 15. B. — Brev. ms. Secoviense saec. 15. Cod. Graecen. 1051. C. — In 2. Noct. **A** 2, 2 qui est ABC. — **R** 3, 5 vim fehlt A. — In 3. Noct. **R** 1, 1 proclamaverunt A. — **R** 1, 3 subiugaverunt A. — **R** 2, 4 Scias nos fidem A. — **R** 3, 5 Lies constanti? — In Laud. **A** 3, 1 grandi fehlt A. — Ad Bened. **A**, 6 Sic agmen ag. ellarum A. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A**, 5 Et fehlt A.

65. De sancta Iuliana.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Psallat mater ecclesia
Dulci cum symphonia
Recensendo celebria
Iulianae sollemnia.

2. Haec quasi foetorem
Christi flagrans per amorem
Sic mundi florem
mundique sprevit honorem.

3. Per virtutum incrementa
Carnis horrens blandimenta,
Servans fidem Christo soli
Laeta scandit arcem poli.

4. O flos virens inter paradisi lilia,
Iuliana virgo pia,
Veri solis filia,
Deo nos reconcilia.

5. Plaudat Sion filia
Laudum cum canore,
Assunt nunc sollemnia
Virginis decorae,
Iulianae, sponsae Christi,
Quae suo cruore
Lota felix in caelesti
Gaudet iam decore,
Cuius, Christe, sancta prece
Purgans a peccati faece,
Iunge nos caelestibus.

R. Quae geminis felix
ornaris, virgo, triumphis,
Martyr cum roseis
rutilans Iuliana coronis,

Splendida virgineis
florescis, femina, sertis;
V. Sis memoratrix
famulorum, sancta, tuorum,
Qui tibi devote
famulantur nocte dieque.

Ad Magnificat.

A. Gaude, caelum, terra, plaude,
Dies adest digna laude,
Plena dies gloria,
Qua Iuliana antiquum
Castitatis inimicum
Elisit victoria;
Pia mater et matrona,
Tuis sanctis precibus
Interventrix et patrona
Sis pro nobis omnibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum iubilantes
Laudum per insignia
Exsultemus venerantes
Iulianae sollemnia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec caeli divitias
Aestimabat copiam
Et mundi delicias
Reputabat inopiam.
2. Sic enim in Christo
fundata fuerat,
Quod ab ipso separari
penitus non poterat.
3. Coniugalem suum sprevit
Et intra se decrevit
Idola patris respuere
Et Christo regi credere.

Responsoria.

1. Fulgebat sancta
triplex decus in Iuliana:
Nobilitas generis
et virtus nobilitatis,
V. Martyrii laudatur in hac
victoria plus quam.
2. Exutam virgis
iussit caedi pater eius,
A sponso propriis
suspensa fuitque capillis,
V. Ut Satanam coleret
et Christum pure negaret.
3. De plumbo plena
post haec succenditur olla,
Quae succensa suos
guttis furentibus ussit,
V. Sed sibi nil potuit
succensio dira nocere.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. O mira insania,
A patre tenerrima
Flagellatur filia,
Quia spernit idola.
2. Carnifices credentes
Inquiunt praefecto:
Nos pati supplicia
Cupimus pro Christo.
3. Tunc praecepit credentes
Christo omnes decollari,
Qui cum palma martyrii
Meruerunt coronari.

Responsoria.

1. Carcere clausa manet,
hanc infer evertere temptat,
Quem vinctum tenuit
et vinclis dire cecidit,
V. Ne plus multaret,
sibi crimina multa fatetur.
2. Hostem tartarcum
secum duxit religatum
Ac in stercus eum
proiecit sordibus unctum,
V. Sic quoque deceptus
discessit denique victus.

3. Machina rotatur,
rota ferrea flexa paratur,
In quam contrahitur,
sed penitus annihilatur,
V. Angelus hanc fregit
et eam de morte redemit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum virginali turma
Sequitur in stola candida
Iuliana sanctissima
Agnum sine macula.

2. In caelesti solio
Servit Dei filio
Cum castitatis lilio.

3. Vicit cum triumpho
Saeculum inane
Et cum martyrii gladio
Finivit vitae certamen.

Responsoria.

1. Post haec ex lignis
magnus succenditur ignis,
In quem iactatur,
sed virgo mox liberatur,
V. Stans autem libere
Deum benedixit in igne.

2. Conflato vere
corpus perfunditur aere,
Hoc Deus examen
sibi contulit esse solamen,
V. Ut constans fieret
et firmior inde maneret.

3. Post haec tormenta
ducitur Iuliana beata
Ad decollandum,
quae post se vociferantem
Audivit daemonem
tortores sicque rogantem:
V. Non ei parcatur,
sed ei caput ense feratur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beata Iuliana
sublimata in caelis,
Quae supplicia plurima
perpessa est fidelis.

2. Deo cum laetitia
serviens puella
Sub patris manibus
sustinet flagella.

3. Praeses rotam ferream
iussit praeparari,
In qua membra tenerrima
praecepit laniari.

4. Misit Dominus angelum
suum de caelis,
Qui ignem comminuit
et illaesam custodivit.

5. In tantis suppliciis
Iuliana fidelis
Benedixit Dominum
iugiter de caelis.

Ad Benedictus.

A. Quasi stella matutina,
Quam illustrat lux divina
In conventu cum concentu
Iuliana caelestium
Gaudet luminarium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vergentis ad vesperam
Mundi vitam prosperam
Iuliana despiciens
Non retro respiciens
Ad ea se extendit,
Quae iam comprehendit.

Brev. ms. Secoviense saec. 15. Cod. Graecen. 1556. A. — Brev. Ebersbergense saec. 15. Clm. Monacen. 5968. B. — Brev. ms. Schäftlariense saec. 14. Clm. Monacen. 17030. add. saec. 15. C. — Brev. ms. Brixinense saec. 15. Cod. Oenipontan. 610. D. — Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod.

Doneschingen. 315. E. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 Sed mundi D. — **A** 3, 10 Purgas AD. — **A** 4, 3 Solis veri D. — **A** 5, 1 Laudat D. — **R**, 1 Ave gemmis felix D. — Das Resp. lautet in B (D hat dasselbe **R** in 2. Vesp.):

R. O lampas ecclesiae,
Rivos fundens olei,
Medicina gratiae,
Incrementum fidei,
Tutelam praestans pavidis,
Calorem minus fervidis
Languidis medelam,
V. Tu Dei saturitas,
Oliva fructifera,
Cuius lucet exitus
Et resplendent opera.

Ad Magn. **A**, 3 Dies adest gloriae D. — In 1. Noct. **A** 2, 3 Quod ab ipso penitus A. — **A** 2, 4 separari non A. — **A** 3, 1 suum fehlt A. — **A** 3, 4 fehlt A. — **R** 1, 4 virtus nobilitatis D. — **R** 3, 1 plena fehlt D. — In 2. Noct. **A** 3, 2 decollari omnes ADE. — **R** 1, 2 hanc lofer A. **R** 3, 6 sed eam D. — In 3. Noct. **R** 3, 4 vociferandum ADE. — **R** 3, 7 Non sibi D. — In Laud. **A** 1, 4 Perpessa est in terris AD. — **A** 2, 3 Sub eius patris D. — D hat zu diesem Officium den Hymnus Anal. IV, Nr. 367 mit den dort angegebenen Abänderungen.

66. De sancto Iusto.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

Laude salutari
fas est Domino famulari.
Vespere qui flentes
cruce vel sibi commorientes
Mane redonabit,
ditabit, magnificabit;
Nomine, re Iustum
sic magnificavit in aevum;
Huius ob oramen
nobis fer, Christe, iuvamen.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Conveniant iusti,
decet, ad sollemnia Iusti
Ut simul exsultent.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christus iter novit,
quod Iustus pergere vovit,
Qui tunc transibit,
vir iniquus quando peribit.
2. In primo flore
Domino servivit amore
Iustus, iustitiae
perquirens dona sophiae.
3. Isti dum fantur,
tribulantes multiplicantur,
Sed susceptor eris,
Deus, horum, dum lucra quaeris.
4. In Domino sperat
Iustus, sed quae bona quaerat,
Pravi mirantur,
dum signa necis meditantur.
5. Saecula qui vicit,
Dominus Iusto benedicit
Proque solo donat
caelestia iamque coronat.
6. Ore fit infantis
cantatio lausque tonantis.
Sed memor est hominis
Deus, eripit hunc qui a poenis.

Responsoria.

4. Iustus in somnis
captum videt, ars patet omnis
Ut redimatque patri
suadet: mea; via matri
Dura videbatur:
Deus, inquit, nos comitatur;
V. Sumptibus consumptis
dat iter pater proleque iunctis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Arcus cum pharetra
sunt prompta feroxque sagitta,
Ut pleni sorde
perdant nectum vere corde.

2. Non dolus in lingua
fuit, ac probra maligna
Sprevit et abiectis
pravis minus et mala fecit.

3. Praevenit hunc primum
Deus aucta luce dierum
Inque salutari
facit hunc sine fine beari.

4. Pauper clamavit,
Deus exaudivit, amavit
Omnigenoque bono
replet addens se quoque dono.

5. Vitae Christe dator,
arcis Sion, en, speculator
Hymnat electus,
assumptus ad astraque vectus.

6. Delectus is in
facturis cuncta creantis
Est iam factus cedrus
in aula omnipotentis.

Responsoria.

4. Lictor iter Iusti
sequitur, puer ille parenti
Abdere dixit, ego
responsum fero venienti,
V. Huic vivum dabo me,
cruce qui fuit hostia pro me.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

4. Te laudare Deum
decet, auges namque tropaeum
Et nece transacta
sanctorum per sacra facta
V. Cor, corpus sana,
rege, duc nos pelleque vana.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hic Domino sedes
dum lumen splenduit aedes
Collaque perfecta
micuerunt omnia tecta.

2. Praesul Amator fit speculator
luminis huius,
Munere cuius est tumulatus
vir iugulatus.

3. Femina caeca fuit,
quae pervigilante sepulcrum
Mansit, ecce, clarum
dans visum sibi sepulchrum.

4. Te benedicit,
Christe, beatus,
Qui probra vicit
Per cruciatus
Quo adiuvante
Te miserante,
Quique iuvemur,
Ne cruciemur.

5. Sit vigil in somnis
ad laudes spiritus omnis
Testis, et ad festa
mundentur corda scelesta.

Ad Benedictus.

A. In sanctitate et iustitia
Domino obtulit sacrificia,
Cui et nos sacrificium
laudis offeramus,
Ut regem in decore suo
videre valeamus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laus vespertina
faciat, sint corda divina,
Lucis ad auroram
prompti captare coronam,
Iusto collatam
cunctisque iustis paratam,
Qua ne fraudemur,
eius prece saepe iuvemur.

Propr. ms. Eremitense saec. 16. Cod. Eremiten. 93. A. — Propr. ms. Eremitense saec. 16. Cod. Eremiten. saec. 16. Cod. Eremiten. 616. B. — Propr. ms. Eremitense saec. 16. Cod. Eremiten. 618. C. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 2 Domino fehlt AB. — In 1. Noct. **RR** 1—3 prosaisch. — In 2. Noct. **A** 2, 3 sq. Sprevit et abiecti minus et mali fecit ABC; spätere Korrektur abiectis pravis minus. — **A** 6, 3 lies facta? — **RR** 1—3 prosaisch. — In 3. Noct **A** ad Cant. und **RR** 1—3 prosaisch. — **R** 4, 1 Te laudare Dominum A. — In Laud. **A** 4, 7 Qui iuvemur A.

67. De sancto Kanuto Duce.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave martyr, dux Danorum,
Ave, decus Daciae,
Cura causas sanciorum,
Cum sis pignus gratiae,
In nostra serie
Factis, verbis te sequamur
Et cum mentis acie,
Ne in limo infigamur
Vel labamur glacie
Vallis miseriae,
Sed te duce mundo calle
Transeamus ex hac valle
Ad superna
Et aeterna
Gaudia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Veni, turba fidelium,
Dei adora filium,
Qui sanctum pro victoria
Aeterna ditat gloria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir vere beatus,
Secus fontem transplantatus
Fructum profert irrigatus
In tempore suo.

2. Quare fremuerunt gentes
Innocentem persequentes?
Infideles perierunt
Et cum Christo sunt et erunt,
Qui confidunt in eo.

3. Exaudi, Deus, te orantem,
Ne contemnas deprecantem,
Cum exaudis et intendis
Et a malo nos defendis,
Sperabo in te, Domine.

Responsoria.

1. Ortum duxit dux Kanutus
de radice nobili,
Rex Ericus erat huic
propagator soboli,
Ex qua crevit regni salus
et libertas populi;

V. Stemmatis pompositas,
Morum elegantia
Et virtutum probitas
Sunt in hac substantia.

2. Quando fuit peregre
rex profecturus, honorem
Optavit proli,
sed onus non sustulit aetas,
Perpendens pater hoc,
compassio sanguinis urget;

V. Disponit cuidam
pueri committere curam.

3. Hoc statuto de Kanuto,
Quod pater disposuit,
Dicto vale ius regale
Tunc Haraldus suscipit,
Inchoato voto grato
Iter rex arripuit;

V. Mansit puer cum cognatis,
Et cum matre pater gratis
Peregrinus proficit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocarem, exaudisti
Invocantem nomen Christi
Et pro morte temporali
In spe vitae singulari
Constituisti me.

2. Verba mea sunt praecepta,
Morte vita est adepta,
Mors haec tuis grata satis,
Scuto bonae voluntatis
Coronasti nos.

3. Domine, Dominus noster es
Et sancti tui requies,
Coronasti hunc in caelis,
Quem honorat plebs fidelis.

Responsoria.

1. Iam flos purpureus
Spirat odore
Germine iustis,
Tempore messis
Dulcia grana
Ducit in altum;

V. Ut puer ille
Corpore crevit,
Crevit in illo
Gratia Christi.

2. Instat tempus iuventutis,
Fructus patet gratiae
Et salutis et virtutis,
Per quem iugo servitutis
Plebs privatur Daciae;

V. Constitutus est Kanutus
Dux in regno
Et princeps in acie.

3. Dux hic factus sui iuris
Diligit iustitiam
Et in rebus defensuris
Obtinet victoriam,
Perdit pravos a pressuris
Conservans ecclesiam,

V. Pauperibus pater ille pius
fit pastor egenis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecce, peccatores,
Falsi proditores
. . . . . .

2. Domine, quis habitabit,
Et cum sanctis quis intrabit
In tua tabernacula?
Miles tuus et athleta,
Immortalis vitae meta
Inventus sine macula,
Non movebitur in aeternum.

3. Domine, in virtute tua
Sancti laetetur anima,
Pro cuius magna gloria
Psallemus virtutes tuas.

Responsoria.

1. Pacem Danis et paganis
Fidem sanctus contulit,

Quos a vanis et profanis
Ritibus recedere
Et in Christum credere
Compulit sub pacis foedere.
V. Duci Danorum
sub iure regio
Honorem exhibet
Sclavorum legio.

2. Felix iste vicibus
fruitur paternis,
Nam obstrusis undique
hostium cavernis
Dux dat uti Daciam
legibus modernis.
V. Providus in opere,
verax in sermonibus,
Vere Deo placuit
et dulcis hominibus.

3. Decus regni et libertas,
Pax, flos, fructus et ubertas,
Surdis aures das apertas,
Linguas mutis das disertas,
Claudis gressus, caecis visus,
Quisquis aeger est confisus
In te, sanus redditur;
V. Coetibus angelicis
iunctus super astra locaris
Atque tuis famulis
in terris auxiliaris.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In matutinis laudibus
Exaudiat te Dominus
Et sancti sui meritis
Nos servet a periculis
In longitudine dierum.

2. Iubilate et servite
Illi, qui est auctor vitae,
Ut sequentes sanctum ducem
Ducat nos ad veram lucem
Veritas eius.

3. Deus meus, Domine,
Labia mea laudabunt te.
Os iusti laude replebitur,
Os obstructum destructur
Loquentium iniqua.

4. Benedicite regem iustitiae,
Quem secutus dux beatus
Est cum sanctis exaltatus
In saecula

5. Laudabunt omnes angeli
Nomen sanctum Domini,
Et mater ecclesia
Pro filii sui gloria
Laudat Dominum.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui virtutis incrementum
Sancto duci contulit,
Unum granum grana centum
Moriundo protulit,
Ut non intret in tormentum
Patens peccatoribus,
Pic dux, hunc duc conventum
De peccati foribus
In viam pacis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dulcis martyr, dux Kanute,
Audi preces supplicum,
Duc nos de hac servitute,
Ne peccatum nos privatum
Sive scelus publicum
Ducat ad interitum,
Sed cum iustis et cum bonis
Terram repromissionis
Fac intrare
Et in ea perdurare
Per tuum sanctum meritum
In aeternum.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. — In 2. Noct. R 3, 5 pravas. — In 3. Noct. Von A 1 stehen nur die ersten zwei Zeilen mit rotem etc. im Brevier; die Antiphon selbst steht aber nirgends. — A 2, 1 habitat. — R 3, 4 desertas. — Die beiden Hymnen cfr. Anal. XXIII Nr. 370 sq.

68. De sancto Kanuto rege.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ave, martyr praecipue,
Ave, rex insignissime,
Kanute, cum principibus
Triumphans iam caelestibus;
Ecce, tuum per saeculum
Refulget clare meritum,
Exora pro fidelium
Salute, rex, altissimum.

2. Sol oriens nec deficiens
de virgine stella
Luciflua pietate sua
te, sancte, coronat,
Rex celebris, nos de tenebris
absolve reatus,
Luce fluis, lux esto tuis,
Kanute, rogatus.

3. Laude pie sancta
iam decantande Kanute,
Lampas caelestis,
Christi fortissime testis,
Iam Domino gratus,
nostros absolve reatus,
Ut tibi cum iustis
iungi mereamur in astris.

4. O bone rex regum,
nos protege ab hoste maligno
Kanuti meritis,
ut te sine fine videntes
Cum rectis animo
laetemur in aethere summo.

5. O martyr, rex Daciae,
Kanute, victor inclite,
Posce tuis fidelibus
[Aeternae] palmam gloriae
Et duc de mortis tenebris
Ad gratiam filios Evae.

R. Miles Christi gloriose,
Kanute sanctissime,
Tuo pio interventu
culpas nostras abluc,
V. Ut perennis regni sedem
valeamus scandere.

Ad Magnificat.

A. Magnificet plebis
devotio sancta fidelis
Regum primatem
cum summis ima regentem,
Cuius Kanutum
decoravit gratia sanctum
Nomine martyrii,
sicut prius imperiali;
Inclite devotos
tibi martyr protege cunctos.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo venite dulcibus
Coniubilare vocibus,
Cuius Kanuto gratia
Regna dedit caelestia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Stirpe regali editus
Kanutus puer inclitus
Praeceptis sese Domini
Corde subdebat humili.

2. Crescit morum prudentia
Cum iuventutis gratia,
Unde Dei suffragio
Processit rex imperio.

3. Circumdant plebis milia
Athletam Dei fortia,

Ipse devotis precibus
Deum orat attentius.

Responsoria.

1. Princeps pius et insignis,
Kanutus egregius,
Regni sublimatus Deo
disponente fascibus,
In divinis vitam prudens
ornabat operibus;
V. Sustentabat inopes et
refovebat pauperes,
Ut pararet inter summos
sibi sedem proceres.
2. Frequentabat reverenter
rex potens ecclesiam
Et devoto sacra iussa
recondebat pectori
Pretiosis ditans donis
domum sanctam Domini,
V. *Ut memoria eius permaneret in saeculum saeculi.*
3. Turbinis ut ventus
furit impia plebs aquilonis,
Viribus intendens
totis australibus oris,
Rex ibi promissis
seducitur insidiosis;
V. Ut Iudas proprium
tradebat pace magistrum.
Sic a conviva
traditur ipse suo.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Intendunt arcus impii
Secus aedem altissimi
Et regem sanctum iaculis
Perfodiunt mortiferis.
2. Perfossus telo lanceae
Ut Christus dextro latere
Occumbit fuso sanguine
Secus aram mirifice.
3. Hinc in virtute Domini
Laetatur nunc altissimi,
Coronam ferens capite
De pretioso lapide.

Responsoria.

1. Cum divinis rex devotus
intendisset laudibus
Et se sacris oraturus
intulisset aedibus,
Ecce, ruit innocentem
sitiens plebs sanguinem,
V. Inter quos alter Iudas
Discurrit sublimis
Velut princeps criminis.
2. Ignibus et ferro
fera plebs armata cruento
Circumdat sacras
aedes subvertere tentans,
Sed nequeunt ignes
sacros exurere postes,
V. Et petris mixtae
volitant per aperta sagittae.
3. Inter saxa statim dira
et tela stridentia
In figura patientis
Iesu Christi Domini
Porrigebat sitienti
sancto regi poculum,
V. Cumque pius gustaturus
excepisset manibus,
Mox excussus decidebat
lancearum ictibus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Protexit malignantium
A conventu Deus pium,
Quia linguas ut gladium
Exacuerunt in Deum.
2. Te, Deus, omnis gloria
Per saecla decet omnia,
Quem sanctus in aethereis
Kanutus laudat atriis.
3. Tibi namque rex psallere
Bonum exstat altissime,

Qui iustum iam victoriae
Beasti palma splendidae.

Responsoria.

1. Offert sacratis
aurum miles probus aris
Et vitam regis
manibus dat cunctipotentis,
V. Corruit ante sacras
effuso sanguine valvas.

2. Ima petens postis,
quem templo dissecat hostis,
Cum cruce sacratam
sternit solo tenus arcam
Martyris Albani
gestantem pignora sancti,
V. Tunc rex est sanctus
letali vulnere tactus.

3. Gloriosus Dei martyr
et rex invictissimus,
Iam cruentis circumquaque
saucius vulneribus,
Tandem ut Christus lancea
perforatur latere,
Secus aram pretioso
laureatus sanguine;
V. Sancta domus occisorum
cruore perfunditur,
Dum cum suis princeps pius
ac martyr perimitur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ad declarandum inclitum
Praeclari regis meritum
Miranda sunt post obitum
Ad eius gesta tumulum.

2. Haerebat manus arida
Ad pectus viro dextera,
Sed gaudet de remedio
Hic sumpto salutifero.

3. Hic mutum fari visio
Divo iubet imperio,
Ut rex sanctus censeretur
Martyr Dei vocabulo.

4 Receptis caeci visibus,
Claudi solutis gressibus
Benedicunt magnifica
Dei gaudenter opera.

5. Hinc sospes redit languidus,
Surdus exaudit auribus,
Leprosus ab ulceribus
Mundatus vacat laudibus.

Ad Benedictus.

A. Auctores necis impiae
Vexat furor terrifice,
Nam quidam linguis morsibus
Iam detruncatis propriis,
Quidam dilapsi gurgite
Periere pro scelere;
Hinc Israel altissimus
Sit benedictus Dominus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ossibus egregiis
duplex superadditus ignis
Mox erat exstinctus,
dum sacros attigit artus,
Laudibus hinc omnis
pulset plebs astra fidelis
Magnificando Deum
martyris ob meritum.

Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. A. — Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. B. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. C. — Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. D. — In 1. Vesp. sind **AA** 4 und 5 prosaisch (de communi) AD; nur eine **A**, die erste, hat B. — **A** 3, 1 pia A. — **R** Frequentabat reverenter etc. C. — In 1. Noct. **R** 1, 4 facibus A, fastibus B. — **R** 1, 9 pareret A. — **R** 2 lautet in C, **R** 3 in B:

R. Quo fieret meritis vir magnificentior almis,
Insipiens regem plebs persequitur sapientem
Et feritate sua post illum dirigit arma,
V. Legibus indomitos quia comprimit atque superbos.

In 2. Noct. Die Antiphonen dieser Nokturn lauten in BC:

1. Exaudit sui caelitus
Clamorem servi Dominus
Et dat illi scientiam
Ad servandam iustitiam.

2. Adcrescit furor impii
In Dei servum populi,
Cruorem corde sitiunt
Et linguis dolum concinnunt.

3. Nomen Dei mirabile
Laudet sanctus assidue
Eius corde interrito
Persistens in sacrario.

R 1 Turbinis ut ventus etc. B; Ignibus et ferro etc. C. — **R** 1, 3 oraturus fehlt ABD; se sacratis A, sacramentis D. — **R** 1, 6 sitiens erudelis plebs AB. — **R** 2 Cum divinis rex devotus etc. B; in C lautet es:

R. Cum furit exterius stans exsecrabile vulgus,
Interius precibus dux vacat eximius,
Mysteriis sacris munitur spiritus eius
V. Ut Stephanus sanctus saxorum sustinet ictus.

R 3 Ignibus et ferro etc. B; Inter saxa stanti dira etc. C. — In 3. Noct. **AA** 1—3 fehlen BC, statt dessen **AA** der 2. Noct. — **R** 1 Cum furit exterius etc. B. — **R** 1, 1 sacratum. — **R** 2 Inter saxa stanti dira etc. B; in C:

R. Qui pro nobis moriturus se suspendi pertulit,
Ipse robur inter poenas iam Kanuto contulit,
Quem insignem post triumphum ad superna transtulit
V. Et coronam dignitatis super caput (eius) posuit.

R 3, 1 Dei martyr Kanutus A. — **R** 3, 6 perforatus latere occumbit AB. — **R** 3 Miles Christi gloriose etc. C. — Die zugehörigen Hymnen vgl. Anal. XXIII, Nr. 372 sqq.; davon haben ACD nur den ersten; C ad Noct.: Martyr egregie Deo dilecte (Mone III, 316).

69. De sancta Katharina.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Inclita sanctae virginis
Katharinae sollemnia
Suscipiat alacriter
Sancta mater ecclesia.
Ave, virgo Deo digna,
Ave, dulcis et benigna,
Obtine nobis gaudia
Quae possides cum gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur virginum rex
in saeculorum saecula,
Virgini qui Katharinae
contulit caelestia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo sancta Katharina,
Graeciae gemma,
Urbe Alexandrina
Costi regis filia.

2. Specie corporis decora
Nimis enituit,
Sed fide pulchrior
Sponso superno placuit.

3. Traditur ergo a patre
Doctoribus praecipuis
Imbuenda
Literalibus studiis.

Responsoria.

1. Nobilis et pulchra
virgo Katharina puella

Flagrat amore Dei,
sprevit vaga gaudia mundi,
V. Cui rex carne pater
fuerat reginaque mater.
2. Martyrium sitiens,
libamina Caesaris horrens,
Exclamat Christum,
praeter quem nil venerandum,
V. Daemoniis plena
sunt haec, ait, idola muta.
3. Haec quinquagenos
oratores superatos
Dirigit ad caelos
aurum velut igne probatos,
V. Efficiens testes
fidei, quos pertulit hostes.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum adhuc esset in annis
Virgo puerilibus
Caris orbata parentibus,
Mundi renuntiavit opibus.
2. Maxentius instat impius
Dum idolorum cultibus,
Puella voce libera:
Haec sunt, clamat, daemonia
Et Iesum te, Christe, solum
Praebet canos virgineum.
3. Caesar electos convocat
Rhetores et grammaticos
Adversus illam diputaturos,
Quos vincens virgo
Fidem Christi docuit
Et martyres Deo
Dignos exhibuit.

Responsoria.

1. O quam felices
per te, sanctissima, plures,
Quos iubet occidi
pro Christo turbidus hostis!
V. Cum duce Porphyrio
fit martyr Caesaris uxor.
2. Impius hanc Caesar
sisti iubet ante tribunal,
Hanc ut pervertat,
sicut draco vel leo certat,
V. Illa manet constans
nec blanda nec aspera curans.
3. Virgo flagellatur,
crucianda fame relegatur,
Carcere clausa manet,
lux caelica fusa refulget,
Fraglat odor dulcis,
caeli dant agmina laudes.
V. Sponsus amat sponsam,
salvator visitat illam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gloriosam virginem
Tyrannus imperat
Excruciandam fame
In carcerem retrudi,
Cui escam per columbam
Facit Christus ministrari.
2. Illa Deo dum agit gratias,
In tenebris lux emicat,
Fraglat odor vincens balsama,
Adest contio angelica.
Lacero corpori caelestia
Adhibens medicamina.
3. Cum coetu virgineo
Adveniens salvator
Sponsus sponsam pie visitat,
Consolatur et roborat:
Constans esto, ait, filia,
Tecum ego sum, ne paveas.

Responsoria.

1. Horrendo subdenda
rotarum machinamento,
Virgo Deum clamat,
de caelis angelus astat,
Ecce, repentinam
dant plebs rotaeque ruinam;
V. Tamquam Chaldaeis
quondam fornax Babylonis.

2. Percussa gladio
dat lac pro sanguine collo,
Quam manus angelica
sepelivit vertice Sina,
V. Membris virgineis
olei fluit unda salubris.
3. O mater nostra
ter sancta quaterque beata,
Cum prece devota
famulantum suscipe vota,
V. Iam Christo iuncta
sponsoque tuo sociata.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Passionem gloriosae
Virginis Katharinae
Plebs celebret fidelis,
Quae sui memores Deo
Commendat precibus
Et iuvat beneficiis.
2. Post plurima supplicia
Martyr sancta
Ad decollandum est ducta,
Ad caelum manus, oculos
Tendens, collum pro iugulo,
Orans dat gloriam Deo:
3. Exspecto pro te gladium,
Iesu, rex bone, tu meum
Da paradiso spiritum
Et fac misericordiam
Meam agentibus memoriam.
4. Vox de caelo insonuit:
Veni, dilecta mea, veni,
Intra thalamum sponsi tui,
Quae postulas, impetrasti,
Pro quibus oras, salvi erunt.
5. Quia devotis laudibus
Tui memoriam recolimus,
Virgo o beata Katharina,
Ora pro nobis, quaesumus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Rex caelestis,
Qui per merita beatae
Katharinae virginis
Medelam languidis
Praestat, sanitatem corporis
Ipsius oleo
Feliciter unctis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Prudens et vigilans virgo,
Qualis es cum sponso tuo,
Qui te elegit de mundo,
Quam pulchra, quam mirabilis,
Quanta luce spectabilis
Inter Sion iuvenculas
Et Ierusalem filias,
Thalamo gaudens regio
Coniuncta Dei filio.

Brev. ms. Fossatense saec. 12. Cod. Parisin. 13223. A. — Antiph. ms. S. Vitoni saec. 12/13. Cod. Virdunen. 129. B. — Offic. ms. S. Katharinae saec. 12/13. Cod. Eremiten. 251. C. — Brev. ms. Vapincense saec. 13. Cod. S. Iosephi Lugdunen. Y d 3. D. — Brev. ms. Arelatense saec. 13. Cod. Carpentoracten. s. n. E. — Brev. ms. Gengenbacense saec. 13. Cod. Carolsruhan. Geo. 22. F. — Cod. Turicen. ol. Rhenovien. 101. saec. 13. in. G. — Brev. ms. Wettingense saec. 13. Cod. Aaraugien. W 7 q. H. — Antiph. ms. Traiectense saec. 13. Cod. Mus. Germ. 4984. I. — Antiph. ms. Augiense saec. 12. Cod. Carolsruhan. Aug. LX. add. saec. 13. J. — Antiph. ms. Lichtenthalense saec. 13. Cod. Carolsruhan. Lich. 5. K. — Brev. ms. Trevirense saec. 12. Cod. Treviren. 428. add. saec. 13/14 L. — Brev. ms. S. Mariae de Duna saec. 13/14. Cod. Semin. Brugen. 184 (54). M. — Brev. ms. Augiense saec. 14. in. Cod. Carolsruhan. Aug. CCVI. — Brev. ms. Teplense anni 1353. Cod. Pragen. VII F 23. O. — Brev. ms. Monasticum saec. 14. Cod. Pragen. XII A 22. P. — Brev. ms. Lugdunense saec. 14. Cod. Gratianopolitan. 135. Q. — Brev. ms. Epternacense saec. 14. Cod. Luciliburgen. 12. R. — Brev. ms. Augustanum anni 1397. Cod. Chigian. D V 65. S. — Brev. ms. Olivetanum saec. 14. Cod. Pianoren. M I 23. T. — Brev.

ms. Romanum saec. 14. Cod. Taurinen. K VI 38. U. — Brev. ms. Bituricense saec. 14. Cod. Parisin. 745. V. — Brev. ms. S. Vitoni anni 1352. Cod. Virdunen. 107. W. — Antiph. ms. Eremitense saec. 14. Cod. Eremiten. 612. X. — Brev. ms. Engelbergense saec. 14. Cod. Engelbergen. 99. Y. — Brev. ms. Murense saec. 14. Cod. Araugien. M 1 q. Z. — Brev. ms. Franciscanum. saec. 14. Cod. Matriten. Bb 166. Aa. — Brev. ms. Ebracense saec. 14. Cod. Herbipolen. Mp. th. o. 9. Bb. — Brev. ms. Ebracense saec. 14. Cod. Herbipolen. Mp. th. q. 52. Cc. — Brev. ms. Nissense saec. 14. Cod. Wratislavien. I Q 247. Dd. — Brev. ms. Marchthalense saec. 14. Cod. Stuttgartien. Ee. — Brev. ms. Wingartense anni 1300. Cod. Stuttgartien. HB. I Asc. 110. Ff. — Brev. ms. S. Mariae Gedanen. saec. 15. Cod. Bibl. OO. SS. Fol. 218. Gg. — Brev. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. S. Floriani XI 478. Hh. — Brev. ms. Plagense saec. 15. Cod. Plagen s. n. Ii. — Brev. ms. Zutphaniense saec. 15. Cod. Bollandian. s. n. Jj. — Brev. ms. Heilsbronnense saec. 15. Cod. Erlangen. 704. Kk. — Brev. ms. Scotorum Vindobonen. 54 h 5. saec. 15. Ll. — Brev. ms. Verdense saec. 15. Cod. Berolinen. Fol. 380. Mm. — Brev. ms. Segusinum saec. 15. Cod. Gratianopolitan. 137. Nn. — Antiph. ms. Averbodiense saec. 15. Cod. Averbodien. s. n. Oo. — Antiph. ms. Rasdorfense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 55. Pp. — Antiph. ms. S. Bartholomaei Francofurten. saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 94. Qq. — Brev. ms. S. Florini ad Confluentes saec. 15. Cod. Semin. Magunt. s n. Rr. — Brev. ms. Wormatiense anni 1460. Cod Semin. Magunt. 2157. Ss. — Brev. ms. Matthiae Corvini anni 1487. Cod. Vatican. Urbin. 112. Tt. — Brev. ms. Augustanum saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 514. Uu. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Vatican. Burghes. 93. Vv. — Brev. ms. Lugdunense saec. 15. Cod. Barberin. XI 51. Ww. — Brev. ms. Humiliatorum saec. 15. Cod. Vatican. 9217. Xx. — Brev. ms. Agaunense saec. 15. Cod. Chigian. D V 69. Yy. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Pianoren. M 21. Zz. — Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Pianoren. M 91. Ab. — Brev. ms. Bituricense saec. 15. Cod. Pianoren. M 51. Bc. — Brev. ms. Argentinense saec. 15. Cod. Parmen. HH IV 18. Cd. — Brev. ms. Constantiense saec. 15. Cod. Eremiten. 82. De. — Brev. ms. Rhenoviense anni 1484. Cod. Turicen. Rhen. LX. Ef. — Brev. ms. Eistettense saec. 15. Cod. Eistetten. Fol. 22. Fg. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Stuttgartien. HB. I Asc. 144. Gh. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. Hi. — Brev. ms. Zwiveltense saec. 14 Cod. Stuttgartien 1b 105. Ij. — Brev. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 246. Jk. — Brev. ms S. Alexandri Embecen. saec. 15. Cod. Gotingan. 238. Kl. — Brev. ms. Quedlinburgense saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 132. Lm. — Brev. ms. Halberstadiense saec. 15. Cod. Wernigeroden. Za 42. Mn. — Brev. ms. S. Autberti Cameracen. anni 1535. Cod. Hagen. AA 122. No. — Brev. Braccarense imp. Salmanticae 1511. Op. — Brev. Tornacense imp. s. l. 1497. Pq. — Brev. Ratisbonense imp. Augustae 1488. Qr. — Brev. Nurembergense imp. Lipsiae 1510. Rs. — Brev. Celsonense imp. Caesaraugustae 1514. St. — Brev. Eborense imp. Ulisiponense 1548. Tu. — Brev. Naumburgense imp. s. l. et a. (1481—1492). Uv. — Brev. Liciense imp. Venetiis 1526. Vw. — Brev. Montis Virginis imp. Venetiis 1555. Wx. — Brev. Morinense imp Parisiis 1488. Xy. — Viaticus Misnensis imp. Lipsiae 1502. Yz. — Brev. Traiectense imp. Sohonhoviae 1495. Za.

Bei der Menge der Quellen, die unschwer verdoppelt und verdreifacht werden könnte, da dies Officium zu den verbreitetsten zählt, ist es unmöglich, alle Abweichungen nach Anordnung und Lesart zu verzeichnen. Ich folge, um in der Verwirrung einen Faden zu haben, der Anordnung von DE, die mir dem ursprünglichen Officium am nächsten zu kommen scheint. In I. Vesp. In manchen Quellen steht die **A** Inclita sanctae virginis super Psalmos z. B. G Ll Mm; andere Quellen haben 5 **AA** super Psalmos; am häufigsten sind es die folgenden, zu denen Ll bemerkt: vel sume has antiphonas, si placet, und die sich u. a. finden in HO Ii Jj Oo Bc:

1. Virginis eximiae Katharinae martyris almae
Festa celebrare da nobis, rex pie Christe.

2. Haec mundum spernens et mundi florida ducens
Pro nihilo veram studuit cognoscere vitam.

3. Coepit amare Deum totumque relinquere mundum
Caelica mente petens et Christo semper adhaerens.

4. Hanc pius in propriam sibi Christus sumere sponsam
Dignatus, caeli provexit ad atria summi.

5 Iam Christi thalamum scandit Katharina beatum
Iuncta suo sponso, pro quo tulit aspera mundi.

Fünf andere Antiphonen (vgl. Mone III, 354 u. f.) bringt an gleicher Stelle Pq:

1. Gratulemur in honore
Katharinae virginis,
Quae divino plena rore
Non curans propaginis
Toto mentis in ardore
Sprevit culpas criminis.

2. Virgo prudens anhelavit
Ad sedem sideream,
Ubi locum praeparavit
Linquens orbis aream,
Granum sibi reservavit
Ventilando paleam.

3. Disciplinis est imbuta
Puella caelestibus,
Nudum nuda est secuta
Certis Christum passibus
Dum mundanis est exuta
Vacuis honoribus.

4. Opes mentis praeelegit,
Quibus totam se subegit
Sub carnis victoria,
Nexus mundi fortes fregit
Nec cum mundo quidquam egit
Mundi carens gloria.

5. Virgo Deo decorata
Fidei signaculo
Et in monte collocata
Divino miraculo,
Nos expellas vita grata
Mortis ab umbraculo,
Ut in summi sit purgata
Regis habitaculo.

Wieder andere Vesperantiphonen begegnen uns in St:

1. Honor unitati trinae,
Trinitati unicae
In his festis Katharinae
Voto detur supplici.

2. Orta stirpe nobili
Sponsum legit nobilem,
Christo sponso humili
Se desponsans humilem.

3. Felix nupta,
felices nuptiae,
Cuius est dos
flos pudicitiae,
Thorus quies
aeternae gloriae,
Sponsus rector
caelestis curiae.

4. Ad clamorem
in nocte media
Christo sponso
exit haec obvia,
Fert vas plenum
olei copia,
Nuptiarum
intrat palatia.

5. Tuis ergo, Katharina,
Nupta regi iam regina,
Poscimus sollemniis
Tua festa celebrantes
Interesse, convivantes
Fac nos tuis nuptiis.

Andere Quellen haben in 1. Vesp. nur eine **A** super Psalmos, so P die **A** Virginis eximiae etc. Hh hat dafür die folgende:

Ave, gemma claritatis ad instar carbunculi,
Ave, rosa paradisi, more fragrans balsami,
Katharina, virgo felix, gloriosa meritis
Assistentes tuis festis caeli iunge gaudiis.

Dieselbe Quelle hat in 1. Vesp. das folgende Responsorium:

R. Felix regina, virgo prudens Katharina,
Sponsi caelestis verax invictaque testis,
Nobis indignis precibus succurre benignis,
V. Ut pietas Christi, cuius regnum meruisti,
Nos a peccatis mundet iungatque beatis.

Ad Magn. **A** ist häufig Ave, gemma claritatis (siehe oben) so G Mm, oder aber (so in Hh):

Voce cordis et oris
In laudem summi redemptoris
Consurgat omnis fidelis,
Cuius mediante gratia
Martyr et virgo Katharina
Facto clamore hora matutina
Exivit obviam Christo sponso,
Qui sedet super Cherubim
Cuncta videns in absconso,
Ferens sertum rosae et lilii,
Cum triumpho martyrii
Evasit minas tortorum;
O beata virgo, ora
Iugiter pro reatibus
Supplicum tuorum.

Eine andere Antiphon zum Magnificat setzt an Stelle dieser St:

Ave, sidus matutinum,
Solaris lucis vicinum,
Ave, summi regis cella,
Mirae claritatis stella,
Ave, naufragantum portus,
Fons signatus, clausus hortus:
Ave, martyr Katharina,
Pia nostra medicina,
Sume preces te precantum,
Assis votis supplicantum,
Duc, regina, nos ad regem,
Rege, fove tuum gregem,
Ut possimus te iuvante
Conregnare cum regnante.

Ad Matut. Invit. 1 Adoremus virginum regem G Hh. — Ibid. 2 Qui virgini G Hh. — In 1. Noct. **A** 1, 4 regis erat filia. Hh. — **AA** 2 und 3 lauten in O Hh Ii u. a.:

2. Haec Dominum caeli contemplans mente fideli
Respuens errorem, mundi blandientis amorem.
3. Membra redemptoris fidei Maxentius hostis
Undique caedebat, gladius per cuncta furebat.

Die monastischen Hss. wie AG u. a. haben 6 **AA** nämlich aufser den obigen noch die der folgenden Nokturn; ferner 4 **RR**, das vierte prosaisch G, O Christi pietas etc. A. — In 2. Noct. **A** 1, 3 Claris orbata Hh. — **AA** 2 und 3 in O Hh Ii etc.:

2. Non cedens monitis mactatur verbere mitis,
Carcere damnatur, nec virgo sic superatur.

3. Caesar ut invictam penitus vidit Katharinam,
Ut leo crudelis iubet hanc discerpere poenis.

Die monastischen Hss. haben 6 **AA** nämlich die drei der 3. Noct. Dann 4. Caesaris intrepide etc. 5. Non cedens meritis etc. 6. Caesar ut invictam etc. — **R** 1 Impius hanc Caesar etc. A; in G Hh Ii etc.:

R. Christus sanctam tenebroso reclusam ergastulo
Miro satis atque magno confortat adloquio;
V. Salve, virgo benedicta, quam Christi praesentia.

R 2 Virgo flagellatur etc. A; O quam felices etc. Hh Ii; in G:

R. Angelus interea descendit: Virgo beata,
Ne timeas, inquit, non te pia gratia linquit,
V. Confortans teneram Michael splendore puellam.

R 3 Horrendo subdenda etc. A; O quam felices etc. G; in Hh Ii etc.:

R. Corpus virgineum, Christi venerabile templum,
Monte Sina angelico conditur obsequio,
V. Purus in aetherea cum sanctis spiritus aula.

R 4 prosaisch. A. — In 3. Noct. Hh Ii haben folgende 3 **AA**:

1. Cum coetu virgineo adveniens salvator
Sponsus sponsam pie visitat, consolatur et roborat:
Constans esto, ait, tecum ego sum, nihil paveas.
2. Virginis ex oleo, quod manat corpore sancto,
Certa medela datur, morbi genus omne fugatur.
3. Ave, virgo speciosa, clarior sideribus,
Cuius vultum ac decorem concupivit Dominus,
Funde preces creatori pro tuis supplicibus.

Die monastischen Hss. haben ad Cant. bald eine prosaische **A** (A), bald: Ave, virgo speciosa etc. (G). — **R** 1 Ex eius tumba, nur diese Worte G; Angelus interea etc. Hh Ii; A hat das folgende:

R. Virgo prudens et electa Dei sapientia
Oratorum argumenta vicit et versutias,
V. Ab angelo confortata, plena Dei gratia.

R 2 O quam felices etc. A; Corpus virgineum etc. G; dagegen Hh Ii etc.:

R. Surge, virgo, et nostras sponso preces aperi,
Tua vox est dulcis in aure Domini,
Quae pausas sub umbra dilecti,
Ab aestu mundi
Transfer nos ad amoena paradisi,
V. Pulchre Sion filia
Pro mortali tunica
Agni tecta vellere
Et corona gloriae.

R 3 O mater nostra etc. A; Percussa gladio etc. G; Hh Ii:

R. O Christi pietas, o virtus atque potestas,
Virginis ex membris sacri fluit unda liquoris,
Unde fides aegris infundit dona salutis;
V. Virginis ob meritum manet hoc memorabile signum.

R 4 prosaisch A; O mater nostra etc. G. — In Laud. **A** 5 Iam Christi thalamum etc. G; Hh Ii haben dafür:

Decollata martyre inclita
Lac manat de cervice candida
In testimonium
Virginalis innocentiae;
Gloria tibi, virginum
Amator, Domine.

Ad Bened. A Prudens et vigilans virgo etc. Hh Ii. — In 2. Vesp. ad Magn. A Voce cordis et oris etc. G; Hh Ii:

Beatae corpus virginis
Sepultum est ab angelis
In vertice montis Sina,
Caelum conscendit anima.
In sponsi tui thalamo
Perenni fruens gaudio,
Sancta virgo Katharina,
Pro nobis iugiter ora.

Vor den Laudes schieben mehrere Hss., so G Jj Nn, die Prosula Aeternae virgo memoriae ein. Vgl. dieselbe Anal. XVIII, 107. Was die zum Officium gebräuchlichen Hymnen betrifft, so sind dieselben so verschiedene, dafs man von zugehörigen Hymnen nicht wohl reden kann.

70. De sancta Katharina.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A Iucundare,
superna patria,
Laeta tibi
assunt sollemnia,
Plaude, tota
mater ecclesia,
Katharinae
promens praeconia,
Nam regina
florens munditia
Iam cum rege
regnat in gloria.

Ad Magnificat.

A. Scandit sponsa
regis ad solium,
Lux ad solem
pugil ad bravium.
Carpit virgo
convallis lilium,
Emit morte
vitae solacium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudes dignas opifici
Psallat mater ecclesia,
Qui regni tam mirifici
Dat Katharinae praemia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo stirpe
regia genita,
Katharina
mundo sic oritur,
Doctrix vera
et martyr inclita,
Tamquam rosa
decora cernitur.

2. Cordis innocentia
Lexque veritatis
Locant hanc in patriam
Regni claritatis.

3. Urbis tu Alexandrinae
Flos, decor et gloria,
Dum martyris eximiae
Per te praefert insignia.

Responsoria.

1. Adest almae
matri ecclesiae
Dies festus
grandis laetitiae,
Dum haec virgo,
vas sapientiae,
Collocatur
in regno gloriae;
V. Haec doctrina
pollens mirifica

Sinae vecta
manu angelica.

2. Christi fide
pugil accenditur,
Cum nefandus
ritus dignoscitur,
Duris verbis
regem adgreditur,
Factus amens
iudex deluditur;

V. Stans invicta
clauditur carcere,
Non terretur
verbis nec verbere.

3. O plena Deo anima,
Quae tot doctores superas,
Dum Dei pandis intima
Ad ipsum cuncta revocas;

V. Cultum namque
negantes numinum
Unum Deum
fatentur Dominum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Scorpione laniatur
Taetro manens carcere,
Visu Dei confortatur
Et cibatur munere.

2. Prece rotam dissipat
Dire laniantem,
Saeva morte cruciat
Turbam fatigantem.

3. Regina dum prosilit
Fidei praeconio,
Vitae palmam suscipit
Capitis supplicio.

Responsoria.

1. De excelsis
beata agmina
Missa curant
suscepta vulnera,
Dum deorum
contemnit numina,
Lapsa caelo
cernuntur munera;
Tunc regina
subit certamina
Toto corde
tendens ad aethera,

V. Hanc coronans
virgo corroborat
Adepturam
palmam denuntiat.

2. Felix virgo,
in cuius labia
Tanta caelo
funditur gratia,
Quod doctorum
alta consilia
Imitantur
Dei fastigia,

V. Cum de Deo
celsa mirifica
Ipsis lingua
pandit angelica.

3. Rubus quondam
ardens recolitur,
Dum plebs docta
igni subicitur,
Pilus vestis
in nullo laeditur,
Rosae decor
facie promitur;

V. Hi odorem
dantes mirificum,
Sic mercantur
praemium caelicum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1 Regno Vasti aequiparas,
Rachelem pulchritudine,
Esther rogatu superas
Et Iudith fortitudine.

2. Sponsa regis curiam
Intrat gaudiosa,
Nam palmae victoriam
Praefert gloriosa.

3. Rosa de spina legitur,
De nube sol dirigitur
Dum virgo martyr caeditur
Et Christo sponso iungitur.

Responsoria.

1. Virgo poenis
caesa innumeris
Decollanda
pergit alacriter,
Post triumphum
diri certaminis
Caeli cives
facta perenniter;
V. Lactis unda
fusa pro sanguine
Beatorum
regnat in agmine.
2. Sina montis
sita in culmine,
Sacer liquor
manat ex tumulo,
Unde multos
pio iuvamine
Sanat virgo
salutis poculo,
Sic beata
suo certamine
Dona praestat
peccanti populo;
V. Venerantes
tuam memoriam
Audis pia
et praebes gratiam.
3. O matrona,
cuius auxilio
Sanitatum
dantur solacia,
Nunc devotis
dulci praesidio
Da foveri
divina gratia,
Ut transacto
tristi exsilio
Perfruamur
beata gloria.
V. Opem iam pro-
missam de superis,
Te precamur,
largire miseris.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Celebremus cum iubilo
Diem tantae laetitiae,
Virgo de carnis nubilo
Migrat ad thronum gloriae.
2. Post plurima supplicia
Iugulanda crudeliter
Praestanti beneficia
Laudes solvit alacriter.
3. Exspectans palmae gladium
Caelo locari postulat,
Colentibus martyrium
Opem de caelis impetrat.
4. Vox de supernis mittitur:
Veni, dilecta, propera,
Thalamo sponsi sistitur,
Ubi sunt cuncta prospera.
5. Te venerantes hodie
Devotionis laudibus
Christi commenda gratiae,
Ut det frui caelestibus.

Ad Benedictus.

A. O rosa rubens
cruore martyrii
Candensque lilium
expers contagii,
Tu namque magistra
sancti consilii
Es facta consors
divini consortii.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Splendor mentis,
decor munditiae.
Tortor caedens,
flos eloquentiae,

Aulae tibi
contemptus regiae
Palmam praebent
caelestis curiae.

Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. — Hymnen: In 1. Vesp.: Katharinae collaudemus (Mone III, 367): ad Noct.: Pange, lingua, gloriosae (Mone III, 368); ad Laudes: Praesens dies expendatur (Mone l. c.).

71. De sancta Katharina.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Triumphanti concordando
Militans ecclesia
Katharinae clara colat
Festa cum laetitia.
2. Haec producta ex Graecorum
Radice florigera
Venustate vernat morum
Aetate sub tenera.
3. Quam in flore iuventutis
Florem mundi spernere
Flos totius spes virtutis
Suo fecit munere.
4. Huius factus est amator
Formae sponsus virginum,
In conflictu conservator,
In triumpho praemium.

Ad Magnificat.

A. Tange lyram, sona laudes,
Digne namque tota gaudes,
Graecorum provincia,
Per quam coli ierarchia
Nova gaudet harmonia
Katharina socia,
Quam hac die laude plena
Caeli vexit ad amoena
Caelestis militia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Convenite, iubilemus
agno sine macula,
Katharina cui plaudit
turba cum iuvencula.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Flores hortus dat conclusus
diversorum generum,
Quas in hortum transplantandos
producit aethereum.
2. In hoc horto flos excrevit
mirae pulchritudinis,
Orbem terrae qui replevit
odore dulcedinis.
3. Novo florens in virore
sub novella plantula
Crescit tacta caeli rore
candens sine macula.
4. Haec est illa Katharina,
Costi regis filia,
Rosam vincens per odorem,
per candorem lilia.
5. Quae colendo Deum verum
carnis in se iacula
Trucidavit exponendo
corpus ad pericula.
6. Minas sprevit haec tyranni
virtute constantiae,
Iura legis infidelis
in annis infantiae.

Responsoria.

1. Gemma Graeca Katharina.
Costi regis filia,
Spe consurgens in divina
Haec contemptibilia
Sprevit, nolens in ruina
Quaerere stabilia;
V. Florem mundi
contemnit florida

Virgo florere
gliscens in gloria.
2. Cogit Caesar Christi servos
libare daemonibus,
Sed tyranni virgo iussa
voce damnat libera,
V. Saevit hostis innocentes
perimens atrociter.
3. Argumenta Katharinae
Fulta legis et doctrinae
Sanae testimonio
Deum non concludi fine
Probant, menti nec ferinae
Satisfacit ratio,
V. Non enim corpus
peccans nec anima
Fit sapientiae
sedes malevola.
4. Virgo flagellatur
crucianda fame relegatur,
Carcere clausa manet,
lux caelica fusa refulget,
Fraglat odor dulcis,
cantant caeli agmina laudes;
V. Sponsus amat sponsam,
salvator visitat illam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Poenas mortis haec elegit
Morte mortem superans,
In se totam se collegit
Soli Deo militans.
2. Ex regali stirpe nata
Regem regum coluit,
Cui mente copulata
Tota iungi studuit.
3. Sponsi fervens in amorem
Poenas non extimuit,
Poenam ferens graviorem,
Quod dilecto caruit.
4. Praedicante Katharina
Verbis et miraculis
Cum Porphyrio regina
Fit in fide stabilis.
5. Furit Caesar et utramque
Crudeli martyrio
Vita privat temporali
Coniuncto Porphyrio.
6. Martyr ut oravit
gladium subit, aethera scandit,
Sponsus honorque datur,
cum Christo deliciatur.

Responsoria.

1. Sponsa Christi gloriosa
gaudet inter verbera,
Nulla movent hanc promissa
nec terrent supplicia,
V. Caritate vulnerata
tendit ad caelestia.
2. Christus sanctam tenebroso
reclusam ergastulo
Miro satis atque blando
confortat eloquio;
V. Salve, virgo benedicta,
quam Christi praesentia.
3. Gaudet martyr in tormentis,
Sponsum gerens purae mentis
Clausum armariolo,
Etsi panis huic doloris
Detur, tamen de amoris
Potatur alveolo;
V. Saevit lupus
trux in oviculam,
In pullum milvus,
grus in aviculam.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Deo nostro sit iucunda
Decoraque laus, qui munda
Corda replet gratia,
Qui divisa maris unda
Viam suis per profunda
Pandit ad caelestia.

Responsoria.

1. Surge, virgo, et nostras
sponso preces aperi,

Tua vox est dulcis
in aure Domini,
Quae pausas
sub umbra dilecti
Ab aestu mundi,
Transfer nos
ad amoena paradisi;
V. Pulchre, Sion filia,
Pro mortali tunica
Agni tecta vellere
Et corona gloriae.

2. Ense caeso virginali
Collo signo speciali
Sponsam sponsus virginum
Inter sponsas honoravit,
Lacte vulnus cum manavit,
Rosae iungens lilium.
V. Pape, serta Katharina
Cum ornatu vario
Cumulata portat trina
Fructu centenario.

3. O Christi pietas,
o virtus atque potestas,
Virginis ex membris
sacri fluit unda liquoris,
Unde fides aegris
infundit dona salutis;
V. Virginis ob meritum
manet hoc memorabile signum.

4. O mater nostra,
ter sancta quaterque beata,
Cum prece devota
famulantum suscipe vota,
V. Iam Christo iuncta
sponsoque tuo sociata.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Regnans regnat Dominus,
Mundo factus comminus
Carnis per materiam,
Katharinam virginem
Qui per luctam celebrem
Transvexit ad patriam.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus
omnis creaturae,
Ultra cursum filius
virginis naturae,
Katharinam virginem
hodie secure
Qui locat post proelium,
Triumphi dum gaudium
Dat vitae futurae.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Ave, virgo gloriosa
clarior sideribus,
Cuius vultum et decorem
concupivit Dominus,
Funde preces creatori
pro tuis supplicibus.

Ad Tertiam.

A. Ave, gemma claritatis
ad instar carbunculi,
Ave, rosa paradisi,
more fragrans balsami,
Katharina, virgo felix
gloriosa meritis,
Assistentes tuis festis
caeli iunge gaudiis.

Ad Sextam.

A. Expecto pro te gladium,
Iesu, rex bone,
Tu meum da
paradiso spiritum
Et fac misericordiam
Meam agentibus memoriam.

Ad Nonam.

A. Quod sitivit, contemplatur,
Contemplando delectatur,
Delectanto fruitur
Et fruendo satiatur,
Satiata non gravatur,
Dum sitit, quo pascitur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virgo, decus mundi,
species fidei, gemebundi
Te petimus, te pulsamus,
te corde rogamus,
Gemma tui sexus,
peccati solvito nexus.

Antiph. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Semin. Colonien. 24. A. — Antiph. ms. Cisterciense saec. 13. Cod. Semin. Colonien. 22. add. saec. 14 B. — In 2. Noct. R 4 prosaisch. — In 2. Vesp. Super Ps. AA Virgo regalis fidei merito specialis etc. cum reliquis.

72. De sancta Katharina.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Benedicta sit immensa
sempiterna trinitas,
Quam cognovit inter gentes
Katharina perditas,
Quod nec sexus nec aetatis
amovit fragilitas,
Sed honore passionis
est usa virginitas.

2. Sponsa Christi celebris
Sponso visitatur,
Posita in tenebris
Mire collustratur,
Blande Christus: filia,
Pone metum, inquit,
Sisque constans, gratia
Non te derelinquit.

3. Exspecto pro te gladium,
Iesu, rex bone, tu meum
In paradiso spiritum
Colloca placatissimum
Et fac misericordiam
Meam agentibus memoriam.

4. Dum in sancta Katharina,
Iesu Christe, coleris,
Memor esto verbi tui,
memor esto muneris,
Quod oranti contulisti,
spes humani generis.

Ad Magnificat.

A. Voce cordis et oris
In laudem sui redemptoris
Consurgat omnis fidelis,
Cuius mediante gratia
Martyr et virgo Katharina
Facto clamore hora matutina
Exivit obviam Christo sponso,
Qui sedet super Cherubim,
Cuncta videns in absconso,
Ferens sertum rosae et lilii
Cum triumpho martyrii
Evasit minas tortorum;
O beata virgo, ora
Iugiter pro reatibus
Supplicum tuorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur virginum rex
in saeculorum saecula,
Virgini qui Katharinae
contulit caelestia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Decoretur dies ista
devotis obsequiis,
Sic vox sonet, ut mens clamet
internis praeconiis,
Dum beatae Katharinae
detenti sollemniis,
Promoveri flagitamus
eius patrociniis.

2. Prudens virgo
lampade aptata
Intravit cum sponso
ad nuptias Katharina.

3. Germine fecundo
Katharina nitens
Data mundo
antiquae legis
Erat unica
filia regis.

4. Dum creatoris inscius
Rex colit deos impius,
Sidus ut eximium
Mox Katharina emicat,
Unum colendum praedicat,
Patrem, pneuma, filium.

5. Dedit ei Dominus
os et sapientiam,
Cui non potuerunt
sapientes resistere,
Mundi fluminis impetus
laetificat civitatem Dei.

6. Quinquaginta sapientes
Congregati sunt
Adversus eam, ipsi videntes
Prudentiam
Eius admirati sunt
Et commoti sunt
Ad paenitentiam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rhetores, qui reprobabant
Trinum Deum, colla dabant
Victi iugo fidei,
Iam caelorum cives digni
Tradi non timentes igni
Se pro nomine Dei.

2. Nocte requirendo
verbum regina salutis
Carceris excubiis
videt emica gaudia lucis.

3. Cum coetu virgineo
Adveniens salvator
Sponsus sponsam pie visitat,
Consolatur et roborat:
Constans esto, ait, filia,
Tecum ego sum, nil paveas.

4. Martyr ut oravit,
gladium subit, aethera scandit,
Sponsus honorque datur,
cum Christo deliciatur.

5. Virginis ex oleo,
quod manat corpore sacro,
Certa medela datur,
morbi genus omne fugatur.

6. Virgo prudens media
Nocte venit obvia
Sponso, ferens oleum,
Lampadem ac roseum
Sertum textum lilio;
Iuncta thoro regio
Tuis, virgo regia,
Pia per suffragia
Obtine cultoribus
Iungi caeli civibus.

Responsoria.

1. Virgo sancta Dei,
Katharina, locum requici,
Quam possedisti,
quod praestet gratia Christi,
Obtineas genti
te puro corde colenti.

V. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.*

2. Felix regina,
virgo prudens Katharina,
Sponsi caelestis
verax invictaque testis,
Nobis indignis
precibus succurre benignis,

V. Ut pietas Christi,
cuius regnum meruisti,
Nos a peccatis
mundet iungatque beatis.

3. Sponsa Christi
a Christo trahitur,
Tota in spiritu
caelitus rapitur,
Trinitatem intuens
angelis colloquitur,

Ibi moram faciens
ardet et accenditur,
Et ut magis ardeat,
Seraphim efficitur;
V. Praesentia fastidit,
aeterna scrutatur,
Cibatur secretius,
dum Christo coniungitur.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Virginis exitio
fit machina saeva rotarum,
Angelico pulsu
perit ingens turba virorum,
Sic non imminuit
corpus mala fabrica sanctum,
V. Ut quondam pueris
fornax Chaldaea pepercit.
2. O Christi pietas,
o virtus atque potestas,
Virginis ex membris
sacri fluit unda liquoris,
Unde fides aegris
infundit dona salutis;
V. Virginis ob meritum
manet hoc memorabile signum.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui nos visitavit
Et in conspectu gentium
Iustitiam suam revelavit,
Quod iam dudum prophetico
Praesignatum oraculo
In beatae Katharinae
Declaratur mutatione,
Quae carne soluta hodie
Lac fudit pro sanguine
Et in conspectu gentium
In via mirabili
Ab angelis ducta est
In montem Sinai.

Ad Primam.

A. Christe, salus unica,
Per Katharinae merita
Manum misericordiae
Lapsis benigne porrige
Lavansque nos a sordibus
Redde polorum sedibus.

Ad Magnificat.

A. Ave, virginum gemma Katharina,
Ave, sponsa regis regum gloriosa,
Ave, viva Christi hostia,
Tua venerantibus patrocinia
Impetrata non deneges suffragia.

Brev. ms. Cisterciense saec. 13. Cod. Stuttgartien. 1b 89. — In 1. Vesp. **A** 3, 5 Et fiat. — Ad Magn. **A**, 8 Quem videns. — Ibid. 10 sertum fehlt. Ibid. 12 Evadis. — In 1. Noct. **A** 1, 4 interius praecordiis. — **RR** prosaisch. — In 2. Noct. **R** 4 prosaisch. — In 3. Noct. Ad Cant. **A** und **RR** 3 und 4 prosaisch. — In Laud. Super Ps. **A** prosaisch. — Per Horas ad Tertiam **A**: Ave, gemma claritatis etc. — Ad Sextam **A**: Virgo Christi anhelavit etc. — Ad Nonam **A**: Prudens et vigilans virgo etc.

73. De sancta Katharina.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ave, virgo speciosa,
clarior sideribus,
Cuius vultum ac decorem
concupivit Dominus,
Funde preces creatori
pro tuis supplicibus.

Ad Magnificat.

A. Ave, gemma claritatis
ad instar carbunculi,

Ave, rosa paradisi,
more fraglans balsami,
Katharina, virgo felix,
gloriosa meritis,
Assistentes tuis festis
caeli iunge gaudiis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur virginum rex
in saeculorum saecula,
Virgini qui Katharinae
contulit caelestia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo regalis,
fidei merito specialis,
Ut iubar in tenebris
mundo Katharina refulsit.
2. Haec Dominum caeli
complectens mente fideli,
Respuit errorem,
mundi labentis amorem.
3. Membra redemptoris
fidei Maxentius hostis
Undique caedebat,
gladius per cuncta furebat.

Responsoria.

1. Sancta virgo Katharina,
Costi regis filia,
Summo patre Deo digna
mundi sprevit gaudia,
V. Tam divinis quam humanis
erudita studiis.
2. Cogit Caesar Christi servos
libare daemoniis,
Sed tyranni virgo iussa
voce damnat libera,
V. Saevit hostis innocentes
perimens atrociter.
3. Virgo prudens et electa
Dei sapientia
Oratorum argumenta
vicit ac versutias,
V. Ab angelo confortata,
plena Dei gratia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Caesaris intrepide
studiis praeclara sophiae
Arguit errorem
malesanum virgo furorem.
2. Non cedens monitis
mactatur verbere mitis,
Carcere damnatur,
nec virgo sic superatur.
3. Caesar, ut invictam
penitus vidit Katharinam,
Ut leo crudelis
iubet hanc discerpere poenis.

Responsoria.

1. Sponsa Christi gloriosa
gaudet inter verbera,
Nulla movent hanc promissa
nec terrent supplicia,
V. Caritate vulnerata
tendit ad caelestia.
2. Christus sanctam tenebroso
reclusam ergastulo
Miro satis atque blando
confortat alloquio;
V. Salve, virgo benedicta,
quam Christi praesentia.
3. O mater nostra,
ter sancta quaterque beata,
Cum prece devota
famulantum suscipe vota,
V. Iam Christo iuncta
sponsoque tuo sociata.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Machina poenalis
nutu dispacta tonantis,

Martyre non laesa
dedit orco milia caesa.

2. Martyr ut oravit,
gladium subit, aethera scandit,
Sponsus honorque datur,
cum Christo deliciatur.

3. Virginis ex oleo,
quod manat corpore sacro,
Certa medela datur,
morbi genus omne fugatur.

Responsoria.

1. Surge, virgo, et nostras
sponso preces aperi,
Tua vox est dulcis
in aure Domini,
Quae pausas
sub umbra dilecti
Ab aestu mundi
Transfer nos
ad amoena paradisi,
V. Pulchre, Sion filia,
Pro mortali tunica
Agni tecta vellere
Et corona gloriae.

2. Corpus virgineum
Christi venerabile templum,
Monte Sina angelico
conditur obsequio,
V. Purus in aetheream
conscendit spiritus aulam.

3. O Christi pietas,
o virtus atque potestas,
Virginis ex membris
sacri fluit unda liquoris,
Unde fides aegris
infundit dona salutis,
V. Virginis ob meritum
manet hoc memorabile signum.

Prosella.

1. Sospitati dedit aegros
olei perfusio,
Katharinae disputantum
adfuit praesidio.

2. Candor mentis fusi lactis
monstratur indicio,
Baptizatur uxor regis
una cum Porphyrio.

3. Sepelitur ministrante
caelesti consortio,
O quam probat sanctam Dei
rotarum confractio.

4. Ergo laudes Katharinae
concinat haec contio,
Nam qui corde poscit illam
propulsato vitio

5. Sospes ingreditur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Aeterno regi
caelo terraque potenti
Servans morte fidem
virgo corregnat eidem.

2. Atria Ierusalem
penetrans et luminis arcem,
Haec iubilat sponso,
servit cui caelicus ordo.

3. Ad laudes vigilem
fontemque Deum sitientem
Christus suscepit,
cui virgo fidelis adhaesit.

4. Ignibus exstinctis
canit hymnum vox puerilis,
Sic nece consumpta
sponsi Katharina sub umbra.

5. Ordo puellarum
quam felix candidularum,
Cum quibus haec virgo
cantat nova cantica Christo.

Ad Benedictus.

A. Prudens et vigilans virgo,
Qualis es cum sponso illo,

Qui te elegit de mundo,
Quam pulchra, quam mirabilis,
Quanta luce spectabilis
Inter Sion iuvenculas
Et Ierusalem filias,
Thalamo gaudes regio
Coniuncta Dei filio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vox de caelis intonuit:
Veni, dilecta mea, veni,
Iutra thalamum sponsi tui,
Quod postulas, impetrasti,
Pro quibus oras, salvi erunt.

Cod. Graecen. 1069 saec. 13. A. — Antiph. ms. Sanctense saec. 13. Cod. Sancten. s. n. add. saec. 13/14. B. — Brev. ms. Tirasonense saec. 14/15. Cod. Capit. Tirasonen. s. n. C. — Brev. ms. Gebennense saec. 15. Cod. Parisin. 1318. D. — Brev. ms. Sagiense saec. 15. Cod. Parisin. 13243. E. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisin. 10487. F. — Antiph. ms. Cranenburgense saec. 15. Cod. Cranenburgen. s. n. G. — Brev. ms. Steinveldense saec. 15. Cod. Bruxellen. 2961. H. — Brev. ms. Tirasonense saec. 15. Cod. Munebregen. s. n. I. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Scorialen. a III 6. K.

In 1. Vesp. Super Ps. **AA** Virginis eximiae etc. cum reliquis CI; Ad Magn. **A** Ave, virgo speciosa etc. D. — Invit. 1 Adoremus virginum regem A. — Ibid. 3 Qui virgini A. — Invitat. Laudetur Dominus etc. CI cfr. Anal. XVIII, 105. — In 1. Noct. **R** 3 Christo credentes flammas intrant sapientes. D. — In 2. Noct. **R** 1 Virgo prudens et electa etc. D. — **R** 2 Speciosa [sic] Christi gloriosa etc. D. — Am Schlusse der 2. Nokturn Prosula: Aeternae virgo memoria A; cfr. Anal. XVIII, 107. — In 3. Noct. hat D folgende drei **AA**:

1. Credula virgineis regina per omnia verbis
Martyrii palma gaudens conscendit ad astra.
2. Porphyrius princeps, caeli, dum credidit, heres,
Consectus summum subiit mucrone triumphum.
3. Obsequio mirae capiens alimenta columbae
Carcere virgo manet, Christi solamine gaudet.

R 1 Christus sanctam tenebroso etc. D. — **R** 2, 5 in aetherea BD. — **R** 2, 6 cum sancti spiritus aula BD. — Prosula DEF. — In 2. Vesp. Super Ps. **AA** Virginis eximiae etc. cum reliquis D. — Ad Magn. A: O Christi pietas etc. D; in B:

Mater amabilis, insuperabilis ad meliora
Nos prece dirige factaque corrige deteriora.

oder: Voce cordis et oris etc.

74. De sancta Katharina.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gratulemur in honore
Katharinae virginis,
Quae divino plena rore
Non curans propaginis,
Tota mentis in ardore
Sprevit culpam criminis.

2. Opes mentis praeelegit,
Quibus totam se subegit
Sub carnis victoria,
Nexus mundi fortis fregit
Nec cum mundo quidquam egit,
Mundi carens gloria.

3. Virgo prudens anhelavit
Ad sedem sideream,

Ubi locum praeparavit
Linquens orbis aream,
Granum sibi reservavit
Ventilando paleam.

4. Disciplinis est imbuta
Puella caelestibus,
Nuda nudum est secuta
Certis Christum passibus,
Dum mundanis est exuta
Vacuis honoribus.

5. Virgo Deo decorata
Fidei signaculo
Et in monte collocata,
Divino miraculo
Nos expellas vita grata
Mortis ab umbraculo,
Ut in summi sit purgata
Regis habitaculo.

Ad Magnificat.

A. Decoretur dies ista
devotis obsequiis,
Sic vox sonet, ut mens clamet
internis praeconiis,
Dum beatae Katharinae
detenti sollemniis
Promoveri flagitamus
eius patrociniis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi summo iubilemus
in triumphis virginum,
Quem in choris coronata
beatorum agminum
Laudat virgo Katharina
dominorum dominum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Generosi Katharina
stirpe ducta sanguinis,
Sic regalis est sortita
seriem propaginis,
Ut in illa memor esset
caelestis originis.

2. Illa nihil amplexata
de parentum opibus,
Disciplinis est imbuta
primo saecularibus,
Tuis, Christe, meditata
tandem in sermonibus.

3. Dum profanis immolaret
idolis Maxentius,
Ad conspectum virgo regis
prorumpens audentius
Diligenter explanavit,
quid esset salubrius.

Responsoria.

1. Cum dominante manu
premeret Maxentius orbem,
Urbs, ab Alexandri
quae sumpsit nomine nomen,
Martyrii didicit
Katharinae sanguine formam,
V. Urbs provecta suae
meritis et dogmate civis.

2. Haec verae fidei
sacris edocta magistris
Audet Caesareae
sectam subvertere legis,
Cum metus omne genu
curvaret ad idola regis,
V. Nec vitium propriae
virgo sapit unica gentis.

3. Rex decies quinos
iubet adventare sophistas,
Discutitur verum,
docte Katharina perorat,
Illi martyrii
pariter sumpsere coronas;
V. Sic infirma, Deus,
recipis, sic fortia frangis.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

1. Non est, inquit, rationis
plures Deos colere

Nec in turbam deitatem
simplicem distrahere
Sive cultum creatoris
creatis impendere.

2. Ad conflictum provocati
quinquaginta rhetores,
A puella superati
facti sunt mediocres,
Mox a Deo decorantur
deorum immemores.

3. Virgo fame tenuata
victu sacro pascitur,
Rotis quoque destinata
caelitus eripitur
Et adversus saevientes
ubique consulitur.

Responsoria.

1. Ergo bis senis
virgo veneranda diebus
Carceris horrori
committitur indiga victus,
Caelicus adveniens
reficit ieiunia pastus;
V. Disponit clausae
panis bona prandia vivus.

2. Virginis exitio
fit machina saeva rotarum,
Angelico pulsu
perit ingens turba virorum,
Sic non imminuit
corpus mala fabrica sanctum,
V. Ut quondam pueris
fornax Chaldaea pepercit.

3. Quam tua distribuis
occulte dona, redemptor!
Principe caecato
lumen sua suscipit uxor,
Saucia reginae
grassatur ad ubera tortor,
V. Sic regem spoliat,
sic sancta virgo triumpha.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Regis uxor adquiescit
puellae consilio,
Fide plena mortem subit
sequente Porphyrio,
Regna terrae pro caelesti
commutant palatio.

2. Tandem cursu consummato
Christo virgo redditur,
Et lictori mancipata
ferrum cervix patitur,
Lac pudoris argumentum
pro cruore funditur.

3. Angelorum Dei nutu
sacer chorus adfuit
Et minister sepulturae
Sina montem tenuit,
Iugi lapsu de sepulcro
liquor pacis effluit.

Responsoria.

1. Rex graviter passus
molimina vana perire,
Virgineam litem
statuit praescindere morte,
Fortiter abiecta
felix cadit hostia carne,
V. Emeritae bravio
minime fraudata coronae.

2. Candida cum saevo
cervix procumberet ictu,
Disponente Deo
patuit res digna relatu,
Lacte sacro vulnus
nituit prae sanguinis haustu;
V. Candorem mentis
signat perfusio lactis.

3. Dum bene siderea
frueretur spiritus arce,
Glorificat caram
memorando Christus honore,
Sistitur in Sinai
sancto dignissima monte,

V. Cuius tumba sacrum
fluxu largitur olivum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Plebs fidelis hoc sollemne
devote suscipiat
Et in laudes Katharinae
virginis proficiat,
Quae nos summae maiestati
benigne conciliat.

2. Dum offerret suae carnis
virgo sacrificium,
Manus mundas ad caeleste
pandens sanctuarium,
Preces fudit interpellans
pro salute gentium.

3. Hanc ancillam tuam, Christe,
praevenito gratia,
Ut te Deum invocemus
cum eius memoria,
In adversis liberatrix
visitet potentia.

4. Vox de caelis in turbarum
est audita medio,
Qua benigne confirmatur
indulta petitio,
Ergo votis insistamus
iam certi de praemio.

5. Dum in sancta Katharina,
Iesu Christe, coleris,
Memor esto verbi tui,
memor esto muneris,
Quod oranti contulisti,
spes humani generis.

Ad Benedictus.

A. Benedicta sit immensa
sempiterna trinitas,
Quam cognovit inter gentes
Katharina perditas,
Quod nec sexus nec aetatis
amovit fragilitas,
Sed honore passionis
est usa virginitas.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Veneranda Katharina
probatique meriti,
Cleri tui recordare
populique subditi,
Ut qui lege peccatorum
tenemur suppositi,
Te iuvante solidemur
virtute paracliti.

Brev. ms. Atrebatense saec. 13. Cod. Capit. Vercellen. CLXX. A. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14926 saec. 15. B. — Brev. ms. Bethuniense saec. 16. Cod. Atrebaten. 884. C. — Antiph. ms. Trudonense anni 1600. Cod. Leodien. 283. D. — Brev. S. Mariae Erfordien. imp. Nurembergae 1497. E. — Brev. S. Severini Erfordien. imp. Maguntiae 1518. F.

In 1. Vesp. B, das monastische Ordnung hat und unvollständig ist, hat nach der 1. Antiphon drei andere:

2. Pulchritudo virginea,
Columba Christi nitida,
Nos, Katharina, servulos
Fac humiles et splendidos.

3. Post plurima supplicia
Martyr alma [Katharina]
Ad decollandum est ducta,
Ad caelum tendens oculos
Collum submittit gladio,
Orans dat gloriam Deo.

4. Exspecto pro te gladium,
In paradiso spiritum
Colloca pacatissimum
Et fac misericordiam
Meam agentibus memoriam.

A 5, 7 sq. fehlen E. — Ad Magn. **A** Voce cordis et oris etc. EF. — In 1. Noct. **A** 3, 1 Dum A. — **A** 5 prosaisch B. — **R** 1, 8 meritis de dogmate E. — In 2. Noct. **A** 2, 4 facti sunt indecores E. — **R** 3, 2 occulta E. — In 3. Noct. Ad Cant. **A** Martyr amabilis insuperabilis etc. B. — **R** 4 Surge,

virgo, et nostras etc. — **R** 4, 8 largitur oleum A. — In Laud. Ad Bened. hat B folgende A:

Benedictus Dominus, qui mirificavit
Signis mirabilibus dilectam, quam amavit,
Katharinam virginem, eam visitando
Et carceris caliginem lumine vocando [l.: fugando].
In ipsa signum gratiae amplius illuxit,
Cum lac pudicitiae pro sanguine effluxit.
De hac fluens oleum, signum pietatis,
Quod turbis est fidelium causa sanitatis.
Exauditur propere bonitate Christi,
Dum affatur libere: tene, quod petisti,
In perenni gaudio Deum contemplando
Ibique absque termino sanctis corregnando.

In 2. Vesp. ad Magn. **A** Decoretur dies illa etc. E. — B hat noch das folgende **R**:

R. Salve praedigna, mitis, castaque benigna,
Mortis a ruina nos defende, Katharina,
V. Sponsa Deo grata, super astra deducta beata.

Hymnen verschieden; C in 1. Vesp. de Communi, ad Laudes: Pange lingua gloriosae (Mone III, 368); A in 1. Vesp.: Pange lingua gloriosae, in Laud.: Praesens dies expendatur (Mone l. c.).

75. De s. Katharina de Suecia.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetare, Sion filia,
Iucunda fac tripudia
Katharinae sollemniis,
Quae viduarum speculum
Erat contemnens saeculum,
Iam fruens caeli gaudiis.

2. Haec a sancta propagine
Processit propagata,
Servato eius ordine
Vivebat Deo grata.

3. Pia mater iam puellam
Devota exercitia
Docet mentemque tenellam
Ad sanctorum servitia.

4. Saram, natam Raguelis,
Sancte vivens sequitur,
Eius Christo mens in caelis
Placere disponitur.

5. Natae Birgittae laudibus
Devote persistentes
Harum, Christe, nos precibus
Fac tecum congaudentes.

R. O patrona Katharina,
Infirmorum medicina,
Pupillorum baculus,
Peccatorum a ruina
Trahis sana cum doctrina,
Fulgens ut carbunculus
Signis certis sanctitatis,
Quae demonstrant, cum beatis
Esse te in gloria;
V. Confer, mater pietatis,
Prece luce claritatis
Frui post exsilia.

Ad Magnificat.

A. O Suecorum advocata,
Katharina, sociata
Christo aeternaliter,
Clara sede collocata,
Caeli dote coronata,
Sponsum videns iugiter,
Prava quaeque perpetrata
Prece dele cum beata
Deprecando Dominum,
Ut donet desiderata
Bona, sanctis assignata,
Post hunc vitae terminum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Caeli regem adoremus
Pro Katharinae gloria,
Ut eidem conregnemus
In angelorum curia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Miris donis hanc ornavit
Dei beneficio,
Quando Roma desudavit
Pietatis studio.

2. Artus suos atterebat
Arta paenitentia,
A delictis se cavebat
Vitae innocentia.

3. Virtus Dei mirabilis
In sancta ostenditur
Dum aquarum fluxibilis
Meatus regreditur.

Responsoria.

1. Radix bona, stipes rectus
Deo vivensque dilectus
Profert ramum floridum
In virtute castitatis
Fructu sanctae caritatis
Pietate roridum.
V. Dum parentes gignunt natam,
Katharinam Deo gratam,
Vas virtutum splendidum.

2. Haec pietatis studia
Cernens matris felicia
In aetate tenera,
His edocta sic profecit,
Quod in vita semper fecit
Caritatis opera
V. Et decrevit miserorum
Puro corde languidorum
Relevare onera.

3. Viro iusto copulata
Virgo mansit praeservata
Divina clementia,
Caste servans suum thorum
Disciplina sancta morum,
Operante gratia,
V. Quorum mentis pravitatem,
Carnis motus pronitatem
Vicit pudicitia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omnem virtutis gratiam
Ab intus occultavit,
Datori reddens gloriam
Se nihil aestimavit.

2. Haec pravorum insultibus
Exsistens tribulata
Diffusis piis precibus
Ad Christum est salvata.

3. Portas Sion ingreditur
Haec digne peregrina,
Dum materna perfruitur
Sanctorumque doctrina.

Responsoria.

1. Sub magistri disciplina
Fervens semper ad divina
Romae fuit subdita,
Supplicare in conclavi
Depulsato somno gravi
Nocte Christo solita,
V. Contemplando iam ardebat
Peccatorumque deflebat
Versa vice debita.

2. Pollens vitae sanctitate
Deflet vultus venustate
Sicut Hesther nobilis,
Caritate radicata,
Firma fide, spe beata
Fuit matri similis.
V. Christo passo est devota,
Ipsum amans mente tota,
Verbis, factis humilis.

3. Sancta loca et sanctorum
Visit Romae usu morum
Matrisque solacio,

Fert insultus vultu grata
Tyrannorum, sed servata
Dei beneficio.
V. In se semper confidentes
Iuvat Christus castas mentes,
Dum surgit vexatio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In templo vacat precibus
Ut Phanuelis Anna,
Informans actus legibus
Divinis ut Susanna.
2. Quem colebat, iam regnantem
Cernit in caelestibus,
Ipsam scimus hunc laudantem
Cum sanctorum coetibus.

Responsoria.

1. Mors mariti revelatur
Matri, natae demandatur
Non redire patriam;
Iussu Christi paret laeta,
Labores et inconsueta
Captat per laetitiam.
V. Christo sponso deservire
Studet, carnis motus irae
Ferreque molestiam.
2. Christi languens in amore
Ierusalem cum sudore
Transivit haec domina,
Iesum passum lacrimatur,
Ore terram osculatur
Offerens precamina;
V. Sed cum esset Deo grata,
Cuncta ei sunt donata
Clementer peccamina.
3. Vas virtutum, forma morum,
Katharina, populorum,
Castitatis lilium,
Rosa rubens caritatis,
Bonum sanctae paupertatis,
Amans Dei filium;
V. Posce, mater et patrona,
Gratiarum nobis dona
Civium caelestium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Stola prima est induta
Mortis suae tempore,
De secunda multum tuta,
Quae fiet in corpore.
2. In torrente molendini
Puer casu cecidit,
Per hanc pater et vicini
Salvum ipsum recipit.
3. Caecis, claudis, debilibus
Iuvat suis meritis
Solamen confert tristibus
In maerore positis.
4. Libertate destitutis
Velox dat suffragium,
Et adepta vi salutis
Benedicunt Dominum.
5. Pro nobis Christo supplica,
Patrona pietatis,
Ut mereamur caelica
Gustare cum beatis.

Ad Benedictus.

A. Haec est sensata femina,
Digne vocata domina.
Terrena respuendo
Christo sponso deserviens,
Ecclesiae obaediens
Seipsam annullando,
Carnem, mundum suppeditans,
Christum Deum magnificans
Perversa detestando;
Hinc contingunt miracula
Inter gentes per saecula
Ipsam sanctificando.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vale, robur debilium,
Virtutum fragrans lilium,
Maestorum medicina,
Precatu placa filium,
Dei ferens auxilium.
O mater Katharina;

Te collaudat fidelium
Coetus sperans suffragium,
Culparum a ruina,
Ut post praesens exsilium
Ipsum ducas ad gaudium
Degustando divina.

Brev. ms. Gnadenbergense saec. 15. Cod. Holmien. 67. Darus bei Klemming I, 74a sqq. — In 1. Vesp. A 2, 3 Servato tocius ordine. — In 3. Noct. fehlt eine A. In 1. Vesp. hymnus: Gaude, decus Ostgotiae (Klemming I 74 b.); Verfasser des Hymnus und Officiums ist Johannes Benechini de Calmaria † 1461.

76. De sancto Kentigerno.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudent Deum parvuli,
puer quod conceptus
Kentigernus gratiam
summam est adeptus.

2. Omnes gentes, Dominum,
linguae, plebs, laudate,
Dum nutrit puerulum
Servanus beate.

3. Lauda, dulcis anima,
lauda, Kentigerne,
Deum, qui te patriae
praefecit aeternae.

4. Laus et decus Domino,
psalmus, vox sonora;
Kentigerne, petimus,
pro nobis exora

5. Urbs lauda Ierusalem
Deum, Sion, gaude,
Kentigernum exaltet
Christus summa laude.

R. O sacer antistes,
regis clarissima proles,
Per quem Laudonia
nitet et iam Cumbria tota.

V. Magnaque pars Scotiae
fidei convertitur almae.

Ad Magnificat.

A. O Kentigerne,
gemma nobilis,
Pastor praepollens,
praeco salutis,
O dispensator
Christi fidelis,
Tuis succurre,
quaeso, servulis,
Lumen ut tecum
cernant in superis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Machina trina Deum
verum venceretur et unum,
Qui Kentigernum
sibi sumpsit ad aethera sanctum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix vir, qui fidei
Factis gloriatur
Et in lege Domini
Crebro meditatur.

2. In timore didicit
Deo deservire
Et mandatis studuit
Eius oboedire.

3. Montem Dei caelitus
Scandit Kentigernus.
Ambit, ornat, suscipit
Coetus hunc supernus.

Responsoria.

1. Dat vitae volucrem,
gelidas conflavit in ignem
Frondes, quem comitum
exstinxerat ira nocentum,

V. Culros stirps regia
dedit haec primordia prima.

2. Suscitat inde coquum
puer almus morte sepultum,
Hinc fugit admonitus,
sequitur Servanus alumnum,
V. Sed pede quo iuvenis
ferit aequor, diffluit amnis.

3. Iussit arare lupum,
placuit cui iungere cervum,
Fert ager Cererem,
praesul cum spargit arenam,
V. Et dumus insolitas
brumae dat tempore bacas.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Splendor vultus gloriae
Lumenque probatum
Est, praesul sanctissime,
Super te signatum.

2. Scuto fortitudinis
Christi stat protectus
Kentigernus humilis,
Pontifex electus.

3. O quam admirabile
Et quam gloriosum
Est in terris hodie
Nomen pretiosum.

Responsoria.

1. Dum negat annonam
populo trux regulus aptam,
Ad loca pontificis
subito ruit area messis,
V. Cluda fluctus Christum
novit non invidus ipsum.

2. Dum famulum Domini
pede percutit ira tyranni,
Membra rapit misera
dolor ingens, dira podagra,
V. Posteritas recolit,
quod adhuc pes improbus egit.

3. Fit subito caecus
rex Melchon, vir truculentus,
Cui prece pontificis
reparantur et organa lucis,
V. Vallia quo viso
credit cum principe Christo.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nunc in tabernaculo
Christi requiescit
Pastor pius, providus,
maculam qui nescit.

2. Stat corona aurea
lapidis venusti
In signum victoriae
super caput iusti.

3. Paret terra Domino
cunctis imperanti,
Kentigerno cathedram
praebens praedicanti.

Responsoria.

1. Cum confessa suum
plangit regina reatum,
Pisciculum prendi
vult praesul, et annulus auri
V. Redditur, obstupuit
rex, sic infamia fugit.

2. Dum veniunt una
Kentigernusque Columba,
Aurea lux capiti
visa est descendere sancti,
V. Angelus huic rutilam
defert cum luce coronam.

3. Cum octogenos
centum quoque quinque vir annos
Compleret sanctus,
est Glasgu funere functus,
V. Nunc super astra satus
residet regnaque beatus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Visitat alma pii
vice septena loca Petri
Praesul, campana
cui servit in aethere sacra.

2. Pallia pontificis
numquam nivibus rigat aut nix,
Nec vis ulla viro
tempestatis nocet almo.

3. Sponte ferae celeres
variaeque caeli volucres,
Kentigerne, tuum
se subdunt praesul in usum.

4. Res miranda, gregem
vervex comitatur ovantem,
Truncato capite
latet hic sub imagine petrae.

5. Excidium — —
sacrae iubet esse capellae,
Sed prohibet mutus
divinitus ore locutus,
Nunc tibi laus potior
manet et reverentia maior.

Ad Benedictus.

A. Felix confessor,
flos tui germinis,
Lampas Laudoniae,
lucerna luminis,
Almifice
pollens prodigiis,
Sis gratus subditis
et pius miseris,
Kentigerne,
doctor mirabilis.

In 2. Vesperis.

R. Vertitur in lapides
compressi copia lactis,
Forma dum prisca
[lactis] manet atque figura,
V. Fons tenet aeternum
liquidus per saecula nomen.

Ad Magnificat.

A. Iubar caeleste,
lux clari sideris,
Gaudet, en, Glasgu
per te, dux humilis,
Bonis immensis,
o rosa celebris,
Nobis fer opem
trusis in tenebris
Assisteque servis.

Brev. Aberdonense imp. Edinburgae 1509. — In 1. Vesp. **A** 1, 2 quod fehlt. — **A** 1, 3 Kenterginus. — Invit. 2 veneremur. — In 1. Noct. **R** 2, 6 bis fluit. — In Laud. ad Bened. **A**, 2 tui geris. — In 2. Vesp. **R**, 3 Formatum prisca. — Hymnen: in Vesp. Fulget clara festivitas (Anal. XIX, 172); ad Laudes: Rex confessorum inclite (Ibid.).

77. De sancta Kunegunde.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Laudabile nomen Domini,
Qui Kunegundi virgini
Post terrenum imperium
Caeli concessit solium.

R. O regina praedicanda,
Kunegundis veneranda,
Regi terrae copulata,
Regi caeli dedicata
Virginali gloria,
V. Fruens mundi deliciis
Sine mundi vitiis
Mira sanctimonia.

Ad Magnificat.

A. Magnificet te, Domine,
In Kunigunde virgine
Omnis plebs fidelium,

Per cuius sanctitatem
Recipit sanitatem
Multitudo languentium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum,
Regem sanctarum virginum,
Qui Kunegundem civibus
Coniunxit caelestibus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beata Kunegundis,
Parentela nobilis,
Sed nobilior more,
Nobilissima gloria et honore.

2. Lege Domini immaculata
Conversa est eius anima,
Testimonium Dei fidele
Sapientiam praestans parvulae.

3. Innocens manibus
Aptatis lampadibus
Introivit hodie
Portas regis gloriae.

Responsoria.

1. Virgo mirae castitatis,
Dum regalis dignitatis
Praesideret solio,
Continuit in Domino
Casto matrimonio.
V. Quam pro coniuge rex habebat,
Tamquam sororem diligebat.

2. Liberorum successionem
Per carnalem commixtionem
Exspectare noluit,
Deum heredem voluit,
Cui sua tribuit,
V. Omnem ornatum sacculi
despexit,
Propter honorem Domini,
quem dilexit.

3. Notata est igitur
notamine peccati,
Quae nunquam contraria
fuit castitati,
Nec defuit
illi hostis tentatio,
In qua nulla criminis
inventa est probatio.
V. *Diffusa est gratia in labiis eius, propterea benedixit eam Deus.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Regina quondam terrestris
Nunc assistit Dei dextris
In veste deaurata
Ornatu variata.

2. In tribulationibus
Adiuvabat eam Deus.

3. Fundamenta
Fidei in montibus
Sanctis posuit,
Supraque domus posita
A ventis et fluminibus
Moveri non potuit.

Responsoria.

1. Pro fama ergo conversationis
Et gratia expurgationis
Elegit iudicium
Vomerum candentium
V. Propter fidem castitatis
Et spem divinae pietatis.

2. Cumque Deo dilecta,
Quamvis hominibus suspecta,
Ad illud duceretur
iudicium,
Ingemuit et ait
ad Dominum:
V. Iudica iudicium
meum, Domine,
Te testem invoco hodie.

3. Dixit autem virgo pura
Iam vomeres calcatura:

Quod neque Heinricum
Nec quemquam alterum virum
Carnali cognovi crimine,
Sic adiuva me Domine.
V. Hoc dicto nudo vestigio
super vomeres incessit
Et sine adustionis
molestia discessit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beata Kunegundis
Cum operibus mundis
Et castitatis gloria
Domini intravit atria.

2. Laetata est in Domino
Virgo gloriae
Et confessa sanctificationis
Eius memoriae.

3. Salutare suum Dominus
Illi notificavit
Et in conspectu gentium
In ea revelavit.

Responsoria.

1. Reginae thorum
immaculatum
Auctor diabolus
inquinatum
Maculare cogitavit,
Quam Deus mundam
comprobavit.
V. Haec est regina
Aethiopiae,
Quae venit audire
verba sapientiae.

2. In casta Christus virgine
Sibi desponsata
Servavit sine crimine
Foedera firmata,
Dum per ignem transiit
Expers laesionis,
Inde virtus prodiit
Divinae iussionis.
V. Ignis eam non tetigit
Nec quidquam contristavit
Neque malum intulit,
Quam fides roboravit.

3. Thesaurum in agro
haec virgo invenit,
Dum Deum patrem in carne
filii repperit,
Quem inventum in corde
suo abscondit
Et cunctis facultatibus
praetulit.
V. Omnia sua vendens
agrum emit,
Quae Christum prae omnibus
dilexit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Vinculum castae dilectionis
Dominus servavit,
Dum Kunegundis virginis
Innocentiam comprobavit.

2. Integritati
eius testimonium
perhibuit
Et humilitati
custodiam
semper adhibuit.

3. Itaque gloria eius
magis ac magis
proficiebat,
Quia Deum
toto mentis
affectu diligebat.

4. Tandem rex sub vitae fine
Vocatis amicis reginae
Hanc per manum
commendavit illis
Talibus verbis
memoria dignis:

5. Hanc, ecce, inquit
mihi a vobis,

Immo per Christum
consignatam
Ipsi Christo
et vobis resigno
Virginem immaculatam.

Ad Benedictus.

A. In sanctitate
et iustitia
Contemnentes
mundi vitia
Serviamus
tibi, Domine,
Cum beata
Kunegunde virgine.

In 2. Vesperis.

R. Deus, pater misericordiae,
Fons totius gratiae,
Per merita
Kunegundis virginis
Nos solve
a nexu criminis,
V. Ut ab aeternis ignibus
Liberemur et daemonibus.

Ad Magnificat.

A. O beata Kunegundis,
Vitiorum in profundis
Nos submersos erige,
Pro nobis preces porrige,
Ut tuo auxilio
De mundi exsilio
Translati liberemur
Et cum Christo gloriemur.

Brev. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. S. Floriani XI 429. A. — Brev. ms. S. Floriani saec. 15. Cod. S. Floriani XI 478. B. — Brev. ms. Pataviense (?) saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 189. C. — Brev. ms. Ebersbergense saec. 15. Clm. Monacen. 5972. C. — Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Doneschingen. 315. E. — Brev. Herbipolense imp. Venetiis 1507. F. — In 1. Vesp. **R**, 7 fehlt A. — Ad Magn. **A**, 2 In beata Kunigunde AB. — In 1. Noct. **R** 2, 4 habere voluit A; fehlt C. — **R** 3, 1 est ergo A. — **R** 3, 2 peccati fehlt A. — In 2. Noct. **A** 1, 2 dextris Dei B. — **A** 2. 2 Adiuvabit A. — **R** 3, 3 positi A. — **R** 2, 9 Et testem invoco ABC. — In Laud. **A** 1, 3 Cum Kunegundis B. — **A** 4, 1 Tandem rex sub fine vitae suae A. — Hymnen de Communi.

78. De sancto Ladislao.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Fons aeternae pietatis,
Lux supernae veritatis,
Tibi, Christe, complacente
Ladislao nos tuente
Fac consortes aeternorum
Te laudantes gaudiorum.

Ad Magnificat.

A. Confessor Domini, Ladislae,
Astantem plebem corrobora
Sancta tua intercessione,
Ut, qui peccatorum
pondere premimur,
Beatitudinis tuae
gratia sublevemur
Et te duce aeterna
gaudia consequamur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Confessorum
regem adoremus,
Qui caelestis regni
meritum et gloriam
Concessit sancto
suo Ladislao.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic iniquis non consensit,
Quorum viam dum contempsit,
Christi iugo se subiecit
Et, quae Deo placent, fecit
Operando, cogitando
Et doctrinam vitae dando.

2. Rex a Christo constitutus
Est ab ipso consecutus,
Quod virtute fit indutus
Et in monte sancto tutus.

3. Tua Christus est gloria,
Salus et victoria.
Ipse tuus est susceptor,
Idem noster sit protector.

Responsoria.

1. Edoctus spiritus sancti gratia
Beatus rex Ladislaus
Ruentis mundi gloriam
Sprevit ut transitoriam,
Secutus est iustitiam,
Qui pro Christi gratia
Perenni gaudet gloria.

V. Mundum sibi blandimentem,
Suos quoque seducentem
Contemnendo superavit
Et se Christo mancipavit.

2. Diuturnis excubiis
Instanter in ecclesiis
Deum obsecrabat,
Ieiuniis, vigiliis
Carnem macerabat,
Mentem roborabat

V. Ut Isaac exiens in agrum
meditabatur,
Dum divinae celsitudinis
speciem contemplabatur.

3. In iudicandis
Et examinandis
Causis non potentia
Sed prudentia
Decernebat,
Rigori iustitiae
Misericordiae
Lenitatem praeferebat.

V. Discretus in eloquio,
Utilis in silentio,
Cautus in consilio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit,
In dilectum quem adcivit
Sibi Christus, cui donavit
Summum bonum, quod optavit.

2. Scuto bonae voluntatis,
Dono tuae pietatis
Ipsum, Christe, coronasti,
Quem ad caelum sublevasti.

3. Admirabile
Et ineffabile
Est nomen tuum, Domine,
Nam in tuo nomine
Sanctus iste prospere
Sublimis in aethere
Tecum gaudet vivere.

Responsoria.

1. In naturalibus bonis
Gratuitisque donis
Ipsum natura
Praerogativa
Praetulerat,
Quem dederat
Sibi valorem,
Cunctis meliorem;

V. Ladislai species
Digna fuit imperio,
Veneranda facies
Angelorum consortio.

2. Hunc circumdat veritas
Et misericordia,
Osculatur caritas
Simul cum iustitia,
Per hunc ad terrestria
Prospexit benignitas
Et dona caelestia
Nobis dedit deitas;

V. Caecis visum restauravit,
Mutis linguas reseravit,
Rupta membra roboravit,
Dissoluta solidavit.

3. Salve, rex benigne,
Ladislae, laude digne,
Honor noster et patrone,
Pie, potens, tutor bone,

V. Afflictorum portans onus
Et ad omne pium pronus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, qui operatus
Est iustitiam
Et confirmatus
Est in gratiam.
Nunc in supremo solio
In sanctorum tripudio
Felici gaudet gaudio.

2. Ladislaus honoratur,
Cuius caput coronatur
Regum ritu generoso
De lapide pretioso.
Datur illi dignitas,
Aeterna felicitas.

3. Hic accepit
Benedictionem,
Quem suscepit
In adoptionem
Deus et devotionem
Eius clare commendavit,
Quem heredem adoptavit
Et in caelis coronavit.

Responsoria.

1. De radice regiae
Stirpis propagatus,
Illustris prosapiae
Stemmate prolatus,
De sancta progenie
Regum generatus,
Qui virtutum acie
Viguit stipatus;

V. Moribus nobilior,
Virtutibus clarior
Quam genere,
Cui vivere
Christus est in aethere.

2. Iesu bone,
per Ladislai merita,
Nostra nobis
dimitte debita,
Domum, portam,
sepulcrum visita
Et a trina
nos morte suscita;

V. Actu, mente
vel usu perdita
Pietate
restaura solita.

3. Surge, gaude, Pannonia,
Felix intende prospere,
Ut collaudes felicia
Ladislai praeconia,
Noctis expelle taedia
Iam lucis orto sidere;

V. Surge, collauda Dominum,
Quia de viris sanguinum
Per hunc salvare voluit
Et liberare statuit
Te lucis ante terminum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctus iste indutus
Est decorem,
Qui secutus
Salvatorem
Consecutus
Est honorem
Mundi pompis meliorem,
Nam est eius fortitudo
Sempiterna sanctitudo.

2. Iubilate
Et invocate
Ladislai praesidium,
Quo per ipsum rex omnium,
Christus, nostrum sit gaudium.

3. Qui passus est propter nos,
Illuminet super nos

Vultum suum cum gratia
In beata gloria.

4. Mundialis fabricae
Gaudet universitas,
Te, beata trinitas,
Benedicit et condicit
Tibi laudes debitas.

5. Laudet te, rex gloriae,
Sancta vox ecclesiae
Sollemnizans hodie
Dulci voce melodiae.

Ad Benedictus.

A. Benedictus est salvator,
Sanitatis reparator,
Iesus Christus, qui beatum
Ladislaum sanitatum
Decoravit gratia,
Qui mira potentia
Multis aegrotantibus,
Pluribusque debilibus
De salute desperatis,
Mole mortis molestatis
Divinam medicinam
Adhibuit
Et sanitatem tribuit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O sancte rex Ladislae,
O columna militiae
Christianae,
O firmissima
spes tuae gentis,
Intuere devotionem
populi te quaerentis
Et sub tuum praesidium
confugientis,
O misericors,
misericordiam consecute,
Intercede pro nostra
omniumque salute.

Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Lambacen. LXXXIX' A. — Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Liechtenstein. I 4 12. B. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. C. — Brev. ms. Strigoniense saec. 15. Cod. Parisin. 8879. D. — Brev. ms. Strigoniense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 1481. E. — Brev. ms. Strigoniense (?) saec. 15. Cod. lat. Mus. Hungarici 33. F. — Brev. ms. Strigoniense (?) saec. 15. Cod. Mus. Hungarici 132. G. — Brev. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. H. — Brev. Zagrabiense imp. Venetiis 1505. I.

In 1. Noct **A** 1, 1 consentit A. — **A** 1, 3 Christi virgo A. — **R** 2, 2 sq.: In ecclesiis Deum iugiter exorabat A; Dominum obsecrabat E. — **R** 3, 8 Lenitamen. A. — **R** 3, 11 fehlt E. — In 2. Noct. **A** 1, 1 exaudivit Deus E, Dominus D. — **A** 1, 2 In fehlt D. — **A** 1, 4 Supremum bonum A. — In 3. Noct. **A** 1, 1 Domine hic A. — **A** 2, 3 Regum regni generoso A. — **A** 3, 1 accipiet E. — **A** 3, 3 Qui suscepit A. — In Laud. **A** 1, 4 sq. fehlen E. — Hymnen: In Vesp.: Regis regum civis, ave (Dan. I, 317); in Laud.: Cuius ad sacrum (de Communi).

79. De sancto Lamberto.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magna vox laude sonora
te decet per omnia,
Quo poli chorea gaudet
aucta tali compare,
Terra plaudit et resultat
digna tanto praesule,
O sacer Lantberte martyr,
nostra vota suscipe.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeternum trinumque Deum
laudemus et unum,

Qui sibi Lantbertum
transvexit in aethera sanctum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Orbita solaris
praesentia gaudia confert,
Praesulis eximii
Lantberti gesta revolvens.

2. Hic fuit ad tempus
Hildrici regis in aula,
Dilectus cunctis
et vocis famine dulcis.

3. Sed post, ut fidei
devotus dogmata sumpsit,
Doctrinae cumulos
illi sapientia vexit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Is subiectus erat
ferventi pectore Christo,
Moribus eximiis
et vitae clarus in actis.

2. Dignus honore sacro
doctrina, lumine, verbo,
Iustitiae cupidus,
recto non devius ulli.

3. Fortis in adversis,
humilis per prospera pacis,
Nec terrore teri
potuit nec munere frangi.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sollicitus plebis
patrias lustravit et urbes
Confirmando fidem
trino de nomine natam,
Ut patris ac nati
sancto cum flamine numen
Esse Deum credat
iam, quisquis amaverit unum.

2. Hic indeficiens
Domini sub lege manebat,
Cuius nulla means
suberat cognatio carni.

3. Ultima namque dies
astabat semper ocellis
Illius, unde bonum
fecit certamine cursum.

Responsorium.

1. Egregius praesul
fratres benedixit et infit:
O Deus omnipotens,
caelestia lumine complens,
Hos, exposco, tuos
benedic per saecula servos,
V. Protege ab insidiis,
serva virtutibus almis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Contigit ergo virum
caelesti munere dignum
Urbi vicinas
extra secedere partes,
Venit et ad villam
quae Ledgia nomine fertur.

2. Quod cum perscirent
pravi Dodonis amici,
Complicibus iunctis
pergunt ad funera patris.

3. Ecce, propinquantes
praecingunt tecta domorum
Et tunc Lantberti
quassant habitacula sancti,
Supra conspiciunt
crucis admirabile signum.

4. Unus ex illis
scandens super ardua cellae,
Hunc telo figens
auxit sibi vulnera culpae.

5. Sic animam claris
caelorum reddidit astris,
Quam sacer angelicus
deduxit ad aethera coetus.

Ad Benedictus.

A. Exin praeclaris
anglorum vocibus almum
Ecclesiae templum
reboabat dulce canorum,
Solibus imprimis
mansit celebratio talis
Sancte tuo Landberte loco
caelestibus hymnis.

Cod. Bruxellen. 14650—59 saec. 10. A — Antiph. ms. Sanctense saec. 13. Cod. Sancten. s. n. B. — Brev. ms. Coloniense saec. 13. Cod. Darmstadien. 940. C. — Brev. ms. Coloniense (?) saec. 13. Cod. Dusseldorpin. C 59. D. — Antiph. ms. S. Mariae Traiecten. saec. 14. Cod. Ultraiectin. 411. E. — Offic. ms. S. Lamberti saec. 14/15. Cod. Capit. Valentini s. n. F. — Antiph. ms. Cranenburgense saec. 15. Cod. Cranenburgen. s. n. G. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Darmstadien. 950. H. — Noct. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Monasterien. 267 (800). I. — Brev. ms. S. Nicolai Patavien. saec. 15. Clm. Monacen. 16140. K. — Brev. Halberstadiense imp. Norimbergae 1515. L. — Brev. Traiectense imp. Coloniae 1517. M.

Der Text folgt ausschliefslich A; hier die Abweichungen der späteren Quellen. Die **RR** des Officiums sind alle bis auf eins in Prosa abgefafst. — In 1. Noct. **A** 2, 2 Childerici K. — **A** 3 lautet in K:

Praesul erat — — Treiectensis Theodardus,
Constanter fidei populis dans semina verbi.

In 2. Noct. Die **AA** dieser Nokturn hat K in 3. Noct.; hier stehen dafür:

1. Sub quo Lampertus puer est vixisse paratus,
Disceret ut seriem divinae legis amatam.
2. Sed post, ut fidei devotus dogmata sumpsit,
Doctrinae cumulos illi sapientia vixit [vexit].
3. Praesulis interea fuerat caro fine soluta,
Tunc plebs Lampertum clamat fore sede locandum.

In 3. Noct. **A** 2 und 3 umgestellt G. — In Laud. **A** 2, 1 praestaret K. — **A** 2, 2 pravis Dodonis amicis K. — **A** 2, 4 funera pacis I. — Ad Bened. **A**, 1 vocibus almis L. — Ad Tertiam setzt K:

Verbo praevenit gentili errore vagantes
Divite dives erat, cum paupere pauper egebat.

Ad Sextam **A** Hic indeficiens etc. K. — Ad Nonam **A** Ultima namque dies etc. K. — In 2. Vesp. ad Magn. prosaisch; Sollicitus plebis etc. K.

Der Text folgt in A mit der Bemerkung „unde supra“ unmittelbar auf eine in 9 lectiones verteilte Vita Lamberti des Bischofs Stephan von Tongern oder Lüttich. In der Widmung dieser Vita an Erzbischof Herimann von Köln heifst es: Exinde musicae artis ratione authentica subnectuntur cum antiphonis responsoria nova, in quibus ordini lectionum series respondet tonorum, quatenus sibi aequando extendi quitur numerus horum.“ Stephanus nennt sich hier nicht ausdrücklich Verfasser des Officiums, und nur die Responsorien bezeichnet er als „nova“. Diese Responsorien, die hier fehlen, sind bis auf eines prosaisch. Die Antiphonen dagegen sind einer vita metrica Lamberti entnommen, die im Auftrage Stephans ein autor anonymus verfafst hat. Dieser Autor anonymus ist aller Wahrscheinlichkeit nach Hucbald von St. Amand, der auch seine Vita der hl. Rictrude im Auftrage eines Bischofs Stephan von Lüttich — offenbar desselben, der uns hier beschäftigt — geschrieben. Vgl. J. Demarteau, Bulletin de l'Institut Archéologique Liégeois XIII, S. 383 ff. (vor allem S. 429 ff.). Ausdrücklich als Verfasser, nicht des ganzen Officiums, sondern nur der Responsorien, die er

selbst als nova bezeichnet, wird Stephanus genannt in den Gesta episcoporum Leodiensium: „et responsoria, quae in sollemnitate eius cantamus, composuit;“ Mon. Germ. VII, 200 n. 20. Vgl. Acta SS. Sept. V, 519 n. 10 u. 11.

80. De sancto Lamberto.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O Lamberte pater,
nos nostraque protege semper,
Nos ex more boni
refove curando patroni.

R. Concentu magno
superum generosa propago
Personet altisonis
tellus cum laudibus omnis,
Exsultet nostri
festum recolendo patroni,

V. Cuius continua
prece pertingamus ad astra.

Ad Magnificat.

A. O martyr, gaude
celebri per saecula laude,
Angelicus coetus
fruitur quo compare laetus,
Nosque polo tecum
facias gaudere per aevum.

Invitatorium.

A. Omni Lambertum,
plenum pietate refertum,
Vivere cum verbo
gaudere venite superno.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Inclita Lamberti,
virtutum laude referti,
Festa patris magni
praesentat circulus anni.

2. Hic meritis clarus
cunctisque per omnia gnarus
Fulsit ut aurora
Childrici regis in aula.

3. Ecclesiam largus
tunc rexit Theodoardus
Praesul Treiecto,
qui vixit tramite recto.

4. Sub cuius cura
vicit puerilia iura
Sanctus Lambertus
divino foedere rectus.

5. Post bonus et clarus
fit doctor ad omnia gnarus
Verbis et factis
sacris vitiisque subactis.

6. Praesule defuncto
superis et in aethera iuncto
Hic sublimatur
nutuque Dei dominatur.

Responsoria.

1. Praesul honorandus
et martyr glorificandus
Vico Lambertus
Treiectensi fuit ortus,

V. Miti mente Dei
studuit se subdere legi.

2. Carnalem citharam
suspenderat in crucis aram,
Vita sibi Christus
fuit et mundus crucifixus,

V. Maxima lucra mori
censens reputabat honori.

3. Sanctus collatum
sibi rexit pontificatum,
Factus in exemplar
summi pastoris ad instar,

V. Iustos firmavit,
peccatores recreavit.

4. Signifer insignis,
te sacri pneumatis ignis
Sic inflammarat,
quod frigus non cruciarat;

V. Cuncta gubernantis
fuit haec vis magna tonantis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut sol in centro
relucet splendore corusco,
Hic tam praeclare
fulsit vivendo beate.
2. Primatum nactus
fuit omnibus omnia factus,
Prudens, discretus,
affabilis atque quietus.
3. Mitis, mansuetus
fuit et pro tempore laetus
In discernendo,
ne quid nimis hoc retinendo.
4. Corpore sincerus
et blando corde serenus,
Quod virtutis erat,
hilari vultu peragebat.
5. Ecclesiae natos
per doctrinam renovatos
Fovit, defendit,
duros acriter reprehendit.
6. Sicut apostolicus
vir Christi verus amicus,
Quidquid amoris erat
divini, perficiebat.

Responsoria.

1. Gentiles verbo
domuit pater iste superno,
Convertit mentes
miseras simulacra colentes,
V. Nam bonitate sua
mollivit pectora dura.
2. Caelestis patriae
cives adamans sacer iste
In tuto positos
semper sperabat ad illos,
V. Contemplativae
gaudens dulcedine vitae.
3. Fasciculus murrae,
virtutum plenus odore,
Huic dilectus erat,
sibi dum carnem subigebat,
V. Fama dulcis erat,
quasi nobile tus redolebat.
4. Cocco bis tincto,
Christi charismate uncto,
O pater, ornaris,
bis tinctus amore vocaris,
V. Te nos oramus,
fac, quod Domino placeamus.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Hunc, quem subvexit,
sanctum sapientia rexit
In saeptis cellae
post sceptrum pontificale.

Responsoria.

1. Ex hinc transactis
bis binis et tribus annis,
Rursus episcopio
relocatur de Stabulao,
V. Plebs dictante Deo
gaudet pastore recepto.
2. Principe cunctorum
nunc instigante malorum
Saevit turba virum
nequam vexando benignum,
V. Invidia plena,
sceleris nullius egena.
3. Sensit post laudes
nocturnas adfore fraudes
Hostiles, precibus
pater instans glorificandus,
V. Nec mora, de tecto
transfixus obit pie telo.
4. Victima sancta Dei
conscendens sidera caeli,
O Lamberte pater,
rege nos et protege semper,
V. Concilians Christo
Domino nos nunc et in aevum

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hoc Deus in sancto
regnavit robore magno,
Optime praecincto,
Messiae sanguine tincto.

2. Hunc collaudemus
Dominoque Deo iubilemus,
Nostro factori
mens concors consonet ori.

3. Te sitiens, Christe,
suspirabat sacer iste,
Ad te clamavit,
dum prudenter vigilavit.

4. Martyrio dignum
crucis admirabile signum
Hunc demonstravit,
benedicite, iam superavit.

5. Omnia cernentem
laudemus cunctipotentem,
Quo sacer in regno
gaudes, Lamberte, superno.

Ad Benedictus.

A. Rex regum Christus
per saecula sit benedictus,
Qui dedit aeterni
dulcissima gaudia regni
Lamberto sancto,
meritis et nomine magno.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Christe, patris verbum,
lumen de lumine verum,
Tu corpus sancti
Lamberti glorificasti.

Ad Tertiam.

A. O quam miranda
Christi pietas et amanda,
Quae fecit sancto
Lamberto iam morituro.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. De torrente bibit,
praesentia cuncta despexit
Hic sacer ad caelum
migrans, quo regnat in aevum.

2. Iam sublimatus
benedicitur iste beatus,
Gloria, divitiae
vere sibi sunt sine fine.

3. Mire ditatus
cum principibusque locatus
Gaudet apostolicis,
totus congaudeat orbis.

4. Credidit et docuit,
quae voverat, in nece solvit,
Quae pretiosa sibi
fuerat pro nomine Christi.

Ad Magnificat.

Iesu Christe pie,
pater omnipotens, miserator
Optime, suscipe laudes has
dignanter ut eius,
Cuius festa recensemus,
meritis tueamur.

Brev. ms. Lambrechtense saec. 12/13. Cod. Graecen. 134. A. — Brev. ms. Lambrechtense saec. 14. Cod. Graecen. 1527. B. — Brev. ms. Lambrechtense saec. 15. Cod. Graecen. 1475. C. — Brev. ms. Lambrechtense saec. 15. Cod. Graecen. 1521. D. — Brev. ms. Lambrechtense saec. 15. Cod. Doneschingen. 313. E. — In I. Vesp. ad Magn. **A** wie oben oder: Magna vox laude sonora etc. A; vgl. das vorhergehende Officium. — Invit. wie oben oder: Aeternum trinumque Deum etc. A; vgl. das vorige Officium. — Per Horas ad Sextam et Nonam prosaische **AA**. — Die Hymnen sind in A noch alle de Communi; später kommen in Gebrauch Anal IV, Nr. 321, 323, 325.

81. De sancto Lamberto.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gloriosa rutilat
Lamberti victoria,
Laudes Deo iubilat
Mater Sion ecclesia.

2. Vere digna recolatu
Martyris memoria,
Saeculi prostrato statu
Palmae freti gloria.

3. Lambertus is, patriae
Praesul et lucerna,
Viam suis gratiae
Monstrat ad superna.

4. Quam diversa per hunc mira
Portendisti, Domine,
Qui pro tuo mortis dira
Libens tulit nomine.

5. Praesul sanctus adhuc anctus
Puerili gremio,
Viridio semper pio
Cohaerebat studio.

R. O coruscans margarita,
Bone dux Lamberte,
Te canentes ab hac vita
Peccati converte
Per tuam virtutem;
Mentem piam miseris,
Nobis tuis posteris
Donans et salutem.

V. Omni clero cultu vero
Sub hoc die melodiae
Psallenti praeconia
Tibi fer auxilia
Vultu diligenti.

Ad Magnificat.

A. Magna vox laude sonora
te decet per omnia,
Quo poli chorea gaudet
aucta tali compare,
Terra plaudit et resultat,
digna tanto praesule,
O sacer Lamberte martyr,
nostra vota suscipe.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo regi iubilemus
Regnanti per omnia
Et Lamberto decantemus
Psalmorum sollemnia.

In 1. Nocturno.

1. Lambertus insignium
Ortus est ex genere,
Terrae Traiectensium
Claro micans sidere.

2. Hic a pueritia
Datus sacris artibus
Cunctos in scientia
Vincit et virtutibus.

3. Tot et tantis donum
titulis beat istum natura,
Quod se felicem
subolis iactat huius figura.

Responsoria.

1. Claruerunt dignitates,
In Lamberto variae
Parentum sublimitates,
Rarae formae venustates
Et quam plures aliae;

V. Fide quidem arduus
Erat, spe conspicuus,
Caritate strenuus.

2. Puerile hic servile
Iugum iam exutus
Disciplinas est divinas
A Theodardo praesule
Summe consecutus;

V. Quem antistes ob amorem
Optat sibi successorem.

3. Virum hunc egregium
Sedis Traiectensium
Vacante pastoratu

Cleri desiderium
Per assensum regium
Sublimat praesulatu;
V. Idem poscunt fieri
Optimates, liberi,
Senes atque pueri.

Nam subrogatus pellitur
Praesulisque reducitur
Sedis thronum in priorem,
V. Et regresso praesuli
Pangunt laudes iubili
Subditorum singuli.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pastor iste sacrae legis
Normam suam edocens
Semper curam dati gregis
Gerit fraudis innocens.

2. Nati quidam scelerum
Sanctum persequuntur
Nec eventum prosperum
Patris patiuntur.

3. Hinc collecto concilio
Iactus sedis ab honore,
Secedit absque vitio
Exsul Deo conductore.

Responsoria.

1. Exsul orbis in stadio
Ne cursum extendat,
Stabulio coenobio
Fratrum se commendat,
Abbatis imperium
Colens nolens
Suae esse voluntatis.
V. Annis, Christe, tibi
sub hac forma servit ibi.

2. Nocte surgit media
Sanctus, ad officia
Precum properatur,
Sotular dilabitur,
Manu fragor redditur,
Abbas excitatur,
V. Cruci stare mittitur,
Nudis plantis incedit,
Nix ad terram funditur,
Iussis tamen oboedit.

3. O Christi clemens bonitas,
Quem compungis, mox visitas
Iuxta pii patris morem,

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hoc patrono convalescit
Mens ancta fidelium,
Et malorum contabescit
Vis et vigor omnium.

2. Errorem idolatriae,
Qui dudum derelictus
Est terrae Texandriae,
Damnat vir invictus

3. Istos monet quaerere
Bonum aeternale,
Iubet illos fugere
Malum gehennale.

Responsoria.

1. Hinc ulturus proximorum
Dodo sanguinem suorum
In Lambertum saevit ira,
Vallans aedem turma dira,
Quam sanctus ingreditur:
V. Aptos bello conglutinat,
Praesulem morti destinat
Et eum mox prosequitur.

2. Sanctus in cubiculo
Dum orat intente,
Fossus caput iaculo
Deo disponente
Sic martyr effectus,
Ad perennem et sollemnem
Thronum est evectus,
V. Angelorum coetibus
Et sanctis caelestibus
Congregatus civibus.

3. Quanta fulget dignitate
Signorum hic, claret late,
Cum quo regnat iam in caelis,
Corpus huius angelis

Commendatur et servatur
Mira vocum dulcedine
Functum terrae tegmine.
V. Vere dignus hac opera,
Qui temnens vitae prospera
Martyr scandit aethera.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnanti laudum modulos
Christo profiteamur,
Sancti virtutum titulos
Martyris exsequamur.
2. Ad cuius tumbae refugium
Currentes aegroti
Salutis praesidium
Sumunt spe devoti.
3. Hic Deus per miracula
Quae frequenter ostendit,
Se virtus in saecula
Pontificis extendit.
4. Mutis linguam reserat,
Caecis lumen condonat,
Claudis gressum alterat,
Punctos fide coronat.
5. Hinc ad viri gloriam
Eodem in statu
Struit plebs ecclesiam
Pulchro tabulatu.

Ad Benedictus.

A. Congratulemur hodie
Lamberti memoriae
Triumphum agentes,
Ut ab hostis acie
Nos ereptos gratiae
Diae pie
Commendet petentes.

Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Monasterien. 201 (204). A. — Brev. Monasteriense imp. s. l. anno 1489. B. — Antiph. Monasteriense imp. s. l. et a. C. — In 2. Noct. R 1, 3 Stabulos coenobio A. — In 3. Noct. A 2, 4 Damnat fehlt A. — In 2. Vesp. ad Magn. A Magna vox laude sonora etc. wie in 1. Vesp.

82. De sancto Laurentio.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Sancte Laurenti
intercede pro nobis,
Ut consortes
gloriae sanctorum
Tecum effici
mereamur, alleluia.

R. Laurea, Laurenti,
praeclari digna triumphi,
Nomine quo resonas,
iam te super astra per-
ornat;
Salve, care Dei,
nos et conquire saluti,
V. Victrici tota
caeli plaudente chorea
Cum palma divum
laetus adis solium.

Ad Magnificat.

A. Ad te, Christe, fili Dei,
Ad te clamant omnes rei,
Ut in hoc vitae stadio
Fessos idem paraclitus
Refoveat divinitus,
Qui ditavit martyrio
Laurentium levitam,
Mentem iacentem visitet
Et suscitet sopitam;
O quam felix martyrium,
Quod summum parit gaudium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad lactandum nos invitat
Christus, qui perenni ditat
Gaudio Laurentium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Imperium mundi
Decius tunc temporis arcens
Christi discipulis
damna minatus erat.

2. Sixtus papa suos
vocat hortaturque vocatos,
Nec prece nec sponsa
morte negare fidem.

3. Ecclesiae census
servans Laurentius huius
Nutu captivis
pauperibusque dedit.

4. Humanum sitiens
regis censura cruorem,
Christicolas statuit
perdere lege data.

5. Rex Romam veniens
Sixtum causavit adesse
Schismaticum, dignum
morte reumque rei.

6. Accitum fassumque fidem
nec munere nec vi
Flecti posse videns
ense perire iubet.

Responsoria.

1. Ad honorem summi regis
Disciplinae sacrae legis
Traditus Laurentius,
Sixti papae documentis
Institutus, fide mentis
Claruit uberius;
Per hunc fidem fecundavit,
Per hunc fovet domum David
Caelestis largitio,

V. Sic vir in hoc sale vitae
Sanctitatis inauditae
Fulsit privilegio.

2. Dum papa trahitur
Data sententia,
Levita sequitur
Non tam praesentia,
Quam mentis acie:
An sic degenerem
Probasti filium,
Ut te relinquerem,
Dum quaeris gaudium
Perennis gloriae?

V. Si me sorte pari
Negas immolari,
Laedor iniuriae.

3. Discipuli neglectus
Magistri dignitatem
Mutat et minuit,
Praesidentis provectus
Subiecti parvitatem
Nequaquam respuit,
Sed probris exuit
Et docet probitatem;

V. Pater dum filium
Ducit ad praemium,
Conservat unitatem.

4. Fili, ne torquere
Patris absentia,
Fit enim spe vere
Salutis hostia,
Affectum senio
Martyrio dicatum
Post triduum sequeris,
Quem quaeris
Ablatum;

V. Morti vivit senior
Vita iam sopita,
Fructus manet gratior
Iuvenis pro vita.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad nutum regis
Laurentius adfuit ultro,

Fassurus Christum
salvificamque fidem.

2. Visum rex oculis
torvis metitur et iram
Vultu confessus
vociferatur ita:

3. Dic ubi sunt gazae,
quas novimus esse penes te?
Sin, tibi debetur
mortis amara lues.

4. Servandus triduo
rapitur sub iure tribuni,
Factum de medio
carcer opacus habet.

5. Carceris in claustro
reserantur claustra salutis,
Dat lumen caeco
christicolamque facit.

6. Rex vocat Hippolytum,
sub quo tunc vinctus agebat,
Clam sibi donari
suadet et orat opes.

Responsoria.

1. Quid me moves, Hippolyte?
Si lucrari vis tibi te,
Ne cum mundo pereas,
Census vitae, regnum Dei
Repromitto, si te rei
Consensurum voveas;
V. Fiat ergo, inquit, prius
Crede, quo te favor dius
Baptizatum visitet.

2. Christi martyr signo crucis
Caecis praestat usus lucis
Ope data caelitus,
Signa videns sitit fidem,
Mox in Christo sapit idem,
Mox credit Hippolytus;
V. Mox cum domo sua tota
Baptizatus fide nota
Christo plenus enitet.

3. Regressurus iterum
Regis ad censuram
Turbas ducit pauperum,
Quorum egit curam;
Regi mox innotuit
Foris stare virum,
Quem rex esse censuit
Hebetem, delirum;
V. Et Christum publice
Fateri praeduce
Gaudens Hippolyto.

4. Inducuntur pauperes
Infra regis aedem,
Tunc martyr ad proceres
Et ad regis sedem
Versus: En, pecunia,
Inquit, quam rogatis,
His pro Christi gratia
Totam dedi gratis,
V. Dispersos humanitus
Resignari caelitus
Thesauros non dubito.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Decantande
dulci melodia,
Deo nostro
affectus nuntia,
Per te Dei
reddantur gratiae,
Quos affligit
vallis miseriae,
Christi martyr,
ora pro populo,
Qui captivus
est in hoc saeculo.

Responsoria.

1. Tolle, clamat Decius,
Fatur hic impura,
Pereat Laurentius
Iuxta legum iura,
Temere desipere,
Nedum deos spernere
Parit nocitura;

V. Mundetur, praeses, civitas,
Viri blasphemi semitas
Dele morte dura.

2. Praesidis instantiae
Martyr deputatur,
Genus mortis impiae
Praeses machinatur,
Cogitat et mussitat,
Mentem furor incitat
Nondum poena satur;
V. Cratis, inquit, in trutina
Candente ferri machina
Vivus patiatur.

3. Applicato craticulae
Laurentio
Prunas ministrant vernulae,
Quas fusio
Sanguinis exasperat
Et incitat vaporem,
Frixa caro generat
Videndi fastidium
Et dentium stridorem.
V. Ridens martyr
inter carnis frusta:
Praeses, inquit,
versa hinc et gusta.

4. Praeses furit, martyr orat
In agone,
Quem caelesti Deus rorat
Unctione;
Plures deos respuit
In populi stuporem,
Deum unum astruit
Patrem, natum, incliti
Paracliti datorem,
V. Tandem victor
vivit in Domino,
Facto vitae
praesentis termino.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O quam praeclara
debetur laurea palmae
Martyrii, cuius
portio Christus erit;
O quam felix martyrium,
Quod summum parit gaudium.

2. Hos stola ter dena,
quosdam duplicata decore,
Martyr, centena
te cumulata manet;
Sic, Laurenti, martyr Christi,
Laureari meruisti.

3. Misit Dominus angelum
Suum et liberavit
Me de medio ignis
Et non sum aestuatus,
Quia accusatus
Non negavi nomen sanctum
Suum, interrogatus
Christum confessus sum.

4. Te laudet, Deus, omnis homo,
tibi cuncta creata
Martyris in meritis
dent vita vota tuis,
Tibi laus, tibi gloria,
Qui solus potes omnia.

Ad Benedictus.

A. O Iesu Christi bonitas,
O gratia,
Dirige nostras semitas
Ad praemia,
Quae servas martyribus
Ob meritum virtutis,
Da tuis supplicibus
Ductorem Laurentium
Ad gaudium salutis,
O quam felix martyrium,
Quod summum parit gaudium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultemus hodie
Simul et cantemus,
Martyris victoriae
Pia vota demus,

Qui sub tam brevi termino
Feliciter consummatus
Vivet semper laureatus
Et gaudebit in Domino
Nullam timens iacturam;
Pro nobis Deo supplica,
Sancte martyr, et vendica
Laetitiam futuram;
O quam felix martyrium,
Quod summum parit gaudium.

Cod. Bruxellen. (ol. S. Laurentii Leodien.) 9332—46. saec. 14. — In den Laudes fehlt eine Antiphon. A 1 folgt in der Hs. zweimal unmittelbar nacheinander.

83. De sancto Laurentio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Martyr Dei Laurentius
Non ense praecinxit latus,
Tamen vicit diabolum
Superbia praetumidum.

2. Tam nobilis victoria
In sanctis Christi fulgida
Humilitate discitur,
Caritate perficitur.

3. Haec animum Laurentii
Perstrinxit igne fidei,
Non sentire pericula
Adustae carnis gravia.

4. Per hanc triumphant martyres
Caelestis aulae consules,
Haec cunctos iungit Domino
Dei patris in solio.

5. Haec nos choris caelestibus
Conciliet operibus,
Iesu duce Laurentio
Fruituros perpetuo.

R. Martyr odorose,
rosa vernans, pugil speciose,
Munere digne Dei,
laus es istius diei,
Victor ubi gaudes,
Cantant caeli agmina laudes,

V. Nomen habes lauri,
purgati fulgor es auri.

Brev. Praemonstratense imp. Parisiis 1598. — Mit Ausnahme des vorstehenden wie das gewöhnliche prosaische Officium des Heiligen. Die fünf AA der Vesper vielleicht einem Hymnus entlehnt.

84. De sancto Leonhardo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Beate confessor Christi,
Leonharde, ecce, nomen
Tuum fulget per saecula
Petimus ergo, ut tuis
Sacris precibus mereamur
Adiuvari a Domino.

R. Sanctus pater Leonhardus,
Iesu Christi famulus,
Postquam fulsit in hac vita
signis et virtutibus,
Hodie in regno Dei
iunctus est caelestibus,

V. Placens Deo factus dilectus.

Ad Magnificat.

A. Inclita festa celebrantes
Beati Leonhardi,
Christum exoremus regem,
Ut conservet suum gregem.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite, laudemus regem
Christum, regum dominum,

Qui per sanctum Leonhardum
Vincla solvit hominum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus puer Leonhardus,
lux totius Galliae,
Ex [nobilium] praeclara
natus est progenie.

2. Baptizatus puer sanctus
beato Remigio,
Adhaerere contendebat
iugi ministerio.

3. Postquam factus adolescens
evásit infantiam,
Frequentare temporalem
noluit militiam.

Responsoria.

1. Beatus vir Leonhardus,
Clara stirpe generatus
A puerili aetate
Excrevit in sanctitate,
V. Susceptus de sacro fonte
A beato Remigio.

2. Videns sanctus Leonhardus
captivos in carcere,
Hos per regem Clodovaeum
non tardat eruere,
V. Intuens vinctos in urbe
pressos ferri pondere.

3. Infirmi percipientes
sancti viri sanctitatem,
Ad hunc multi confluebant
resumentes sanitatem,
V. In suis corporibus
habentes debilitatem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut crescebat in aetate,
sic in sapientia,
Quoniam spiritus sancti
plenus erat gratia.

2. Miseros a carcerali
liberat ergastulo,
Ad veniam flectens regem
potentem in saeculo.

3. Sanctitatis ejus fama
crescente in Gallia,
Multi ab illo sumebant
salutis remedia.

Responsoria.

1. Beatus Leonhardus relinquens
Promissa regis Francorum
Adeinxit ad militiam
Se regis angelorum,
V. Exsulans pro Domino
A vicinitate
Civium suorum.

2. Venerunt ad virum Dei
ipsius discipuli,
Quibus fontem dedit Christus
prece sui famuli,
V. *Fluminis impetus laetificat civitatem Dei.*

3. Liberati ex ergastulis
Per beatum Leonhardum
Multi de longinquis eum
Regionibus vincla ferentes
Requirebant locum
Et confluebant ad eum;
V. *Gratias agentes Deo altissimo magnificabant sanctum Leonhardum.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Advenit Aurelianum
verbum Dei praedicans,
Maximino servo Dei
se vir sanctus indicans.

2. Cum quo conversatus fuit
aliquanto tempore
Anhelans ad regnum vitae
sitibundo pectore.

3. Revelante sibi Deo
venit Aquitaniam,
Caecos, surdos, mutos, claudos
plures sanans per viam.

Responsoria.

1. Homo Dei a caelesti
transmissus oraculo
Salvavit reginam dire
mortis a periculo,
V. *Quoniam Deus erat cum ipso.*

2. Revertentem peregrinum
a sancti memoria
Homines malignae mentis
torquent in Alvernia,
Flagellatum carcerali
artantes custodia,
Quem eduxit vir beatus
in forti potentia.
V. *O mira erga miserum eius misericordiae viscera.*

3. O pater insignis,
rutilans per saecula signis,
Te, cui vota damus,
Leonharde beate, rogamus,
Aufer ab his poenas,
in carcere solve catenas;
V. Esto memor memorum,
nexus dissolve reorum,
Sintque triumphantes
natale tuum venerantes.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O sancti Leonhardi
Praedicandam clementiam,
Qui apud urbem Nanctem
Hominem ad se clamantem
Videntibus custodibus
Pie solvit a carcere.

2. O quanto tripudio
vir ille laudandus est,
Qui ad fidelem suum
cum luce intravit,
Arcam, in qua iacebat,
super custodes revolvit
Et quasi mortuos
in sepulcro reposuit,
Vinctum eduxit.

3. O virum mirabilem,
Cuius nutu peregrinus
absolvitur,
Castello corruente
scelesta plebs obruitur,
Tyrannus fractis
cruribus reservatur.

4. O virum per saecula
Gloriosum, qui et caeco
Pauperculae filio
Lumen reparavit
Et de corpore
Infelicis feminae
Septem daemonia
Effugavit.

5. O quam pius, quam benignus
Est beatus Leonhardus,
Qui et Rhodanum
Inundantem separavit
Et, ut siccis vestigiis
Per medium graderetur,
Suo fideli imperavit.

Ad Benedictus.

A. O virtutum Domine,
Per saecula benedicimus te,
Qui famulo tuo Leonhardo
Specialiter dedisti in carcere
Catenas confringere,
Sedentes in tenebris
Ad lumen educere,
Desolatos relevare,
Dignare
Plebem tuam
Ejus intercessione
In pace visitare.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, pater Deo digne,
Ave, dulcis et benigne,
Ave, hodie scandens polum,
Leonharde, vincens solum,
Qui solvis in carcere
Catenas captivorum,
Nostra fac quieta tempora
Ab incursionibus inimicorum,
Ut te in ore, te in corde
Semper habeamus
Et tecum ante thronum Dei
Sine fine gaudeamus.

Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. — In 3. Noct. **R** 2, 6 Arcentes custodia. — In Laud. **A** 1, 3 Nantem Britanniae. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 4 Ave Leonharde. — Die Hymnen de communi.

85. De sancto Leonhardo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O Leonharde pater,
Francorum stirps generosa,
Nexus tolle malos
et submove cuncta perosa,
Peccati vinclis,
pastor benedicte, tuere,
Ut Christo corde
puro possimus placere.

2. Angelicis manibus
ad caeli culmina ductus
Intravit gaudens
sanctorum milia cernens.

3. In supera sidera
magno susceptus honore,
Quod prius hic in spe,
modo vera conspicis in te.

4. Abbas abditas
susceptus caelitus odas,
Commenda nostros
Domino, pater inclite, coetus.

5. Iam cernit Christum
regem dominumque polorum
Majestate sua
disponere saecula cuncta.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ecclesiae proles
Christo canat inclita laudes,
Qui dedit angelica
Leonhardo praemia vitae.

2. Virtutum titulis
resplendet turba fidelis
Sanctorum patrum
Christi mandata sequentum.

3. Postquam factus adulescens
evasit infantiam,
Frequentare temporalem
noluit militiam.

Responsoria.

1. O Leonharde tuos,
en, quaesumus, aspice servos,
Ut, qui festa tua
celebramus corde fideli,
Latorem vitae
digni mereamur adire
V. Magnificansque bonis
semper potiamur habendis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Desertus vicus,
monachus vult esse pudicus,
Vivere mendicus
Domino spiritalis amicus.

2. Sanctitatis ejus fama
crescente in Gallia
Multi ab illo sumebant
salutis remedia.
3. Iam sublimatus
propter verba bona beatus,
Hanc contempsit vitam
Christo totus regi datus.

Responsoria.

1. Per te nos miseros,
pater et venerande sacerdos,
Iungens ad superos
protege nos famulos,
V. Ne condemnemur,
quod iniqua gerendo mere-
mur.
2. Ordo serenorum
cum clero nunc monachorum
Flet nequam gesta
merito recolens tua festa,
V. Sed quis cunctatur,
quod solvi non mereatur?

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Signum admirabile
Servis suis dedit Dominus,
Ubi requiescere
Deberet sanctus Leonhardus;
V. Cecidit nix altissima
In tota fere provincia,
Locus autem omnino
Apparuit vacuus.

2. O pater insignis,
rutilans per saecula signis,
Te, cui vota damus,
Leonharde beate, rogamus,
Aufer ab his poenas,
in carcere solve catenas.
V. Esto memor memorum,
nexus dissolve reorum,
Sintque triumphantes
natale tuum venerantes.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527 A. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1522. B. — Die hier fehlenden Teile wie in Nr. 84. — In 1. Vesp. **A** 1, 1 O fehlt A. — **A** 1, 5 vinculis B. — **R** Sanctus Leonhardus relinquens etc. — In 1. Noct. **A** 2, 4 sequens AB. — **R** 1 Beatus igitur Leonhardus clara stirpe etc. — **R** 2 Infirmi percipientes etc. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Lies: Deseritur vicus? — **A** 1, 4 spiritualis B. — **R** 1, 4 servulos AB. — **R** 2, 3 Flevit AB. — **R** 3 Liberati ergastulis etc. — In 3. Noct. **A** 1 Revelante sibi Deo etc. — **A** 2 Cum quo conversatus fuit etc. — **A** 3 Miseros curcerali etc. — **R** 1 Homo Dei a caelesti etc. — Ad Laud. **AA** wie im vorhergehenden Officium. — Ad Bened. **A** Inclita festa celebrantes etc. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** Ace, pater Deo digne etc.

86. De sancto Leonhardo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Miles Dei, leo fortis,
Nardus curans plagas mortis,
Afflictorum consolator,
Captivorum liberator,
Nos peccatis catenatos,
Cippo labis vinculatos
Nos absolvas et non tarde,
Precamur, sancte Leonharde.

Ad Magnificat.

A. Alleluia cantet gaudens
Gens fidelis christiana,
Alleluia psallat plaudens
Clerus melodia plana,
Alleluia promat toto
Monachorum concio,
Alleluia dulci voto
Iubilet Christo Deo,
Per quem redolens ut nardus
Fulget sanctus Leonhardus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus regi Deo,
Qui sancto suo Leonhardo
Post mundi certamina
Contulit caelestia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Leonhardum propheticis
Condecoremus canticis,
Qui tam fulsit prophetia,
Quam et doctrinae gratia.

2. Beatus vere sanctus iste
Pro te, pater Iesu Christe,
Mundi pompas abnegavit
Et os tuum praedicavit.

3. Tu es gloria mea, Christe,
Rogo te, ut omnis iste
Vitam perennem obtineat,
Qui nomen meum invocat.

Responsoria.

1. Florem mundi periturum
Despexit tamquam aridum,
Ut floreat in aeternum
Leonhardus ante Dominum,
V. Pennas sumens ut columbae
Recessit gaudens requie.

2. Alme pater, qui praescius
Tui sacri transitus,
Dum praenotasti fratribus,
Tuere nostros exitus;
V. Per te ducem clarissimum
Habemusque fortissimum,
Dum inde transeamus,
Te obnixe flagitamus.

3. Rex reginam dum lugeret,
Leonhardus et transiret,
Qui rogatus introivit
Et, quod rex ab eo petivit,
Postulavit caelitus;
V. Reginam defunctam suscitavit
Prolemque recuperavit
Dato bino gaudio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit
In eo, quod concupivit
Christus sanctum Leonhardum,
Virum perfectissimum.

2. Verba mea, inquit, audi,
Pie Christe, et exaudi,
Regem hunc laetifica
Defunctamque resuscita.

3. Domine, quam admirabile
Nomen est amabile
Tuum et in saeculis,
Qui vitam reddis mortuis.

Responsoria.

1. Fugiens episcopatum
Vehemens Aurelianum
Liphardo cum suo fratre
Coepit Christum praedicare,
V. Ad Deum se convertebat
Et cor eius directum erat
Ad evangelizandum.

2. O mira bonitas Christi,
Quae virtutes tribuisti
Tantas tuo confessori,
Leonhardo, sancto patri,
Ut catenis vinculatos,
Subtus terram[que] ligatos
Religatos exportaret
Et ad sua reportaret;
V. Sicut amans cum amante
Hic cum illis ambulante
Loquens illos et reduxit
Ad sua loca et perduxit.

3. Gloria, Christe, tuo
tibi resonet in Leonhardo.
Quem facis tecum
sanctis regnantibus aequum,
Quos iam aequasti
gaudentibus et sociasti,
V. Virtutum floribus
floreat semper in caelestibus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Leonhardus habitavit
In deserto, quem amavit,
Corde quaerens impolluto,
Sub cuius triumphabat scuto.
2. Vitam petiit sempiternam,
Pro qua eremi hic cavernam
Subiit cum fratre Liphardo
Saecli spreto gaudio.
3. Hic accepit gratiam
A Domino sempiternam
Cum Christo regnans in gloria
Saeculorum saecula.

Responsoria.

1. Sancte pater Leonharde
Et confessor venerande,
Tu pro nobis intercede,
Ne damnemur, tua mercede,
Et ut nostra peccamina
Caelestis deleat medicina,
V. Qui pro nomine Iesu Christi
Desertum locum subiisti,
Tuo nobis precamine
Digneris nunc succurrere.
2. Leonhardus vas solidum,
Vas auro adornatum
Omni lapide pretioso,
Rivum vitae propinans populo,
Stola se cinxit gloriae
In virtutum perpetratione,
V. Ut effulgens
est effectus ignis
Et ut redolens
tus in aestatis tempore.
3. Sicut leo Leonhardus
Decoratus virtutibus,
Leo fortis est et prudens,
Clamans atque ignem timens,
Sic Leonhardus corde fortis,
Nulla timens mala mortis
Prudens Satanae vias clausit,
Per quas multos hic seducit,
Christum petens voce clamat
Et defunctis vitam donat;
V. Timens ignem cupiditatis,
Mundanae quoque vanitatis,
Artam viam concupivit,
Thesauros datos dum contempsit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beatus vir Leonhardus
Triumphat laureatus,
Post palmam victoriae
Sinu receptus Abrahae.
2. Hic est sanctus Leonhardus,
Cuius vita sideribus
Clarior nobis nunc relucet,
Qui ad Christum nos conducet.
3. Christus ipsum decoravit,
Signis multis exornavit,
Catenatus religatur,
Et defunctus suscitatur.
4. Ad cuius tumulum currunt
Surdi, muti et recurrunt
Sani Christum collaudantes
Et hunc sanctum venerantes.
5. Pater bone, miserere,
Morbos nostros tu scis vere,
Supplicante tibi plebe
Corde toto in hac aede.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
Qui Leonhardi animae
Dum et caeli confers gaudia,
Glorificas in terris sua membra,
Dum e specu, quo latuit,
Caelestis virtus emicuit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O caelestis norma vitae,
Doctor et dux Leonharde,
Qui cum Christo exsultas
Thronis in caelestibus,
Gregem, pastor alme, serva
Sanctaque prece corrobora,

Via caelos clarescente
Fac te duce penetrare,
Ut tunc Christum speculare
Possimus feliciter.

Brev. Hospitalense anni 1490. Cod. Paulan. Hosp. cart. 320. — In 1. Vesp. Super Ps. **A**, 6 Cippo labiis maculatos. — Ad Magn. **A**, 2 Gens fehlt. — Ibid. 8 Christo Domino. — In 1. Noct. sanctus fehlt. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Invocantem Dominus exaudivit. — **R** 1, 1 Leonhardus fugiens. — **R** 3, 3 Quibus facis. — In 3. Noct. **A** 2, 2 Pro qua habere hic catervam. — **R** 1, 5 Et ut peccatorum. — **R** 1, 8 locum tu subisti. — In Laud. **A** 4, 1 aegri currunt. — Hymnus: O Leonharde, pastor bone (Anal. IV, 179).

87. De sancto Leonhardo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Adest dies laetitiae,
In quo soluta hodie
Ab ergastulo carnis
Anima confessoris,
Sancti viri Leonhardi,
Qui virtutem habet nardi
Et ut sidus aureum
Decoravit saeculum.

Ad Magnificat.

A. Leonharde, pater sancte,
Cum sis dignitatis tantae
Ante thronum iudicis,
Ut salvare possis omnem,
Te, pie [pater], orantem,
Ora pro nobis miseris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Festo pacis et honoris
Leonhardi confessoris
Laudesque Deo dando
Venite iubilando.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pro tuo sancto nomine
In lege tua, Domine,
Meditari voluit,
Quem frequenter coluit.
2. Constitutus sum ab eo,
Christo, salvatore meo,
Praeceptum eius praedicans,
Viam salutis nuntians.
3. Tu, Deus, mea gloria,
Laudabilis memoria,
Caput meum exaltasti
Et honore coronasti.

Responsoria.

1. Pastor bone, praeco Christi,
Tua prece meruisti
Per Dei mirabilia
Reginam cum filia
A morte suscitare,
Captivos liberare;
Vitiorum a catena,
Simul a daemonis habena
Nos libera piissime,
Precamur devotissime;
V. Verbi Dei praedicator,
Leonharde, pacis sator,
Captivorum liberator.
2. Mandatum praedo spernit trinum
Vincto negans parcere,
Leonhardus peregrinum
Sanctus trahit de carcere;
Quosdam necat morte dura
Turris ruens media,
Hospiti frangendo crura
Horroris dedit taedia;
V. Hic perseverat offendendo
Vinctum cum tenaculis,
Hunc solvit sanctus ostendendo
Signa cum miraculis.
3. Cum sancti Leonhardi servus
Pergeret negotians,

Praedo rapit hunc protervus
Summam auri postulans,
Torquetur gravi poena
Sub maxima catena;
V. Servus sanctum invocat,
Mox sanctus vincla dissipat,
Illaesum templo collocat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Et scitote,
Quoniam devote
Sanctum suum mirificat
Dominus et glorificat.
2. In te est glorificatus
Leonhardus, vir beatus,
Nomen tuum qui dilexit,
Terrenam gloriam despexit.
3. Nomen tuum laudabile
In sanctis admirabile,
Tua magnificentia,
Virtus, omnipotentia,
Super caelos elevata
Sit per aevum collaudata.

Responsoria.

1. Mundum vincendo,
spernendo sum leo fortis,
Nardus inungendo,
curando vulnera mortis,
V. Sum leo vincendo,
nardus meritis redolendo.
2. O sacerdos in aeternum
Melchisedech per ritum,
Leonharde, qui supernum
Conscendisti situm,
Assistentes tuae laudi,
Caeli satrapa, nos audi,
V. Ut eruamur tua prece,
Precamur, ab aeterna nece.
3. Benedic, Domine,
In sancto tuo nomine
Populum praesentem,
Veniam petentem
Per merita sanctissimi
Leonhardi,
Ut a malo liberentur,
In adversis consolentur,
Voce cordis, simul oris
Te collaudent cunctis horis
Haec humilis plebecula
Per infinita saecula.
V. Conserva te timentes,
Laudes tibi canentes
A cunctis horroribus
Pusillos cum maioribus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus fulgens miraculis
Habitabit, Domine,
In tuis tabernaculis
In sancto tuo nomine.
2. In virtute tua, Christe,
Laetabitur iustus iste
Et super salutare tuum
Confirmavit votum suum.
3. Dei montem hic ascendit,
Loco sancti qui comprendit,
Stabat quia in hoc mundo,
Deo vixit corde mundo.

Responsoria.

1. O Leonharde, vas electum,
Lampas lucens saeculo,
Iter ad superna rectum
Trinitatis speculo
Contemplando didicisti,
Sic pugnando meruisti
Fore convivalis Christi;
V. In vita solitaria
Corpus afflixisti,
Incommoda per varia
Christo servivisti.
2. Fit concursus hominum,
Miracula clarebant.
Grandia per Dominum
Prodigia lucebant,
Catenas, loras, vincula
Multi appendebant;
Artum locum ampliare
Monachi quaerebant,

V. Tellus nive tegitur,
Sed pars novae structurae
Nive munda legitur
Miraculorum iure.

3. Petram Moyses percussit,
Dedit aquas populo,
Deum rogans hic excussit
Torrentem sicco puteo,

V. Res admiranda claruit,
Fons, qui prius aruit,
Aquis plenus apparuit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hic sanctus post maerorem
Induit decorem,
Contra mundum luctavit,
Sic mundum superavit.

2. Iubilans in laetitia
Domino servivit,
Gaudia multiplicia
Laetus introivit.

3. Adhaesit anima
mea post te,
Et tu, Domine,
suscepisti me.

4. Dei nomen benedixit
Hic sacerdos, quando vixit,
Regnum meruit supernum,
In quo gaudet in aeternum.

5. Exsultabit in gloria
Gaudiis laudabilibus,
In aeterna memoria
Laetabitur in cubilibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Emanuel,
Dominus Deus Israel,
Damnationem abiecit,
Nam visitavit et fecit
Salutem populi sui
Prece sancti Leonhardi.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet omnis spiritus
In Leonhardi laudibus,
Cuius beatum spiritum
Ad supernum collegium
Iam evexisti, conditor,
Qui clemens nobis, quaesumus,
Sit adiutor propitius.

Brev. ms. Pataviense (?) saec. 15. Cod. Scotor Vindobon. 50 h g. A. — Brev. ms. Pataviense saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 1891 B. — Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixinen. s. n. C. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 52. saec. 15. D. —

In 1. Vesp. **AA** Super Ps. et ad Magn. wie im vorhergehenden Officium ABC; nur D bietet die beiden obigen **AA** ad libitum. Sie sind in den Text aufgenommen zur leichteren Unterscheidung von der vorhergehenden Historia. — Invit. ad libitum wie im vorigen Officium D. — In 1. Noct. D, das monastische Form bietet, hat sechs **AA**, von denen die letzte prosaisch; die fünf poetischen sind alle doppelt (im ganzen 10 **AA**): **A** 1 a Pro tuo sancto nomine etc. oder:

1 b. Secus decursus aquarum
Plantavit radices fidei,
In quibus redolet ut nardus
Confessor almus Leonhardus.

A 2 a Beatus vere sanctus iste etc. Vgl. das vorige Officium. — **A** 2 b Ecce, constitutus sum ab eo etc. — **A** 3 a Scitote, quoniam Deus sanctum suum Leonhardum mirificavit et glorificavit; vgl. In 2. Noct. **A** 1. — **A** 3 b Invocantem Dominus exaudivit etc.; vgl. das vorige Officium. — **A** 4 a In te est glorificatus etc.; vgl. 2. Noct. **A** 2. — **A** 4 b Verba mea, inquit, audi etc.; vgl. das vorige Officium. — **A** 5 a Domine, quam admirabile etc., vgl. ebenda. — **A** 5 b Nomen tuum laudabile etc.; vergl. 2. Noct. **A** 3. — **A** 1, 4 Quod frequenter B. — **A** 2, 1 Ego constitutus ABC. — **A** 3, 1 Tu Domine mea ABC. — **R** 1, 11 Tu Dei D. — **A** 2, 1 praeco D. — **R** 2, 2 Crimini

iuncto negans D. — **R** 2, 4 trahens D. — **R** 2, 7 frangens D. — **R** 3, 1 Dum sancti D. — **R** 3, 2 Praedam rapit D; hunc protervus fehlt D. — **R** 3, 4 Summam thesauri BD. — **R** 3, 9 in templo D. — **R** 4 Mundum vincendo etc. D. — In 2. Noct. **A** 1 Sanctus fulgens miraculis etc. D. — **A** 2 In virtute tua, Christe, etc. D. — **A** 3 Vitam petiit sempiternam D; vgl. das vorhergehende Officium. — **A** 4 Dei montem hic ascendit etc. D. — **A** 5 ibid.:

A timore inimici
Sanctus pater est ereptus,
Dum in exitu felici
Regnum caeli est adeptus.

AA 6 und 7 prosaisch. D. — **A** 1, 2 Quomodo B. — **R** 1 O sacerdos in aeternum etc. D. — **R** 2 O Leonharde vas electum etc. D. — **R** 3, 13 ff. fehlen A. — **R** 3 Fit concursus hominum etc. D. — **R** 4 Petram Moyses percussit etc. D. — In 3. Noct. Ad Cant. **A** in D:

O Leonharde mirifice,
Qui soles cunctos solvere
A ferreis compedibus,
Nos solve tuis precibus
A peccatorum vinculis
Et a cunctis periculis.

A 1, 2 Habitat D. — **A** 2, 2 sanctus iste D. — **A** 2, 4 nomen suum D. — **A** 3, 3 Stabat que. D. — **R** 1 Sancte pater Leonharde etc. D; vgl. das vorige Officium. — **R** 2 O mira bonitas Christi etc. D; ebenda. — **R** 4 in D:

R O pater et pastor, o mitis et unice rector,
O Leonharde bone, specialis et alme patrone,
Audi placatus nostros cum laude precatus,
V. Ut pius hoc humile semper tuearis ovile.

R 4 Benedic, Domine, etc. D. — In Laud. **A** 1, 1 post mortem D. — **A** 3 und 4 irrtümlich umgestellt A. — **A** 4, 3 meruit sempiternum B. — Nach der **A** ad Benedictus folgen in D noch 3 **AA**: 1. Sicut leo Leonhardus etc. D; vgl. das vorige Offic.

2. Florem mundi periturum
Despexit tam aridum,
Ut floreret in aeternum
Leonhardus ante Deum,
V. Pennas sumens ut columbae
Recessit gaudens requie.

R 3 Rex reginam dum lugeret etc. D.; vgl. das vorige Offic. — Dann folgt eine **A** Leonhardus habitavit etc.; vgl. a. a. O. und weitere drei Responsorien:

1. Sanctus iste tuo, Christe,
Firmatus munimine
Domum, fines et affines
Mentis contempsit culmine,
V. Ut Abraham egressus est,
Quo monstrasti, ingressus est.

2. Quanta fulget Leonhardus gloria
In hoc mundo caelique curia,
Sanitatum probat frequentia,
V. Lepram mundat, fugat daemonia,
Aegris eius subvenit gratia.

3. Leonhardus, vas solidum,
Vas auro adornatum
Omni lapide pretioso,
Vinum vitae propinans populo
V. Stola se cinxit gloriae
In virtutum perpetratione.

In 2. Vesp. Ad Magn. A lautet in B:

B: Te rogamus, serve Dei,
Leonharde, sanctae spei,
Caritatis et fidei
Possessor et pincernula,
Solve vincla peccatorum,
Resera cippos delictorum,
O solamen afflictorum,
Devote Christi vernula.

Dasselbe lautet in C: O Leonharde mirifice etc.; siehe oben S. 252. — Hymnus: O Leonharde, pastor bone ABC (Anal. IV, 179); Leonhardus Galliarum D (Mone III, 397).

88. De sancto Livino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudate, pueri, puerum,
Quem salvator fecit herum
Hic et super sidera.

2. Laudate Dominum, omnes gentes,
Martyris qui sui parentes
Invisit gratia.

3. Lauda, anima quaevis, Christum,
Martyrem qui elegit istum
Sibi in servitium,
Nobis in subsidium.

4. Laudate Deum, quia bonus,
Noster pater et patronus,
Livinus ab infantia
Hunc coluit frequentia.

5. Lauda, Ierusalem, cum laetitia,
Quia Christus sua sapientia
Dempta carnis inertia
Livinum tulit de scoria.

Ad Magnificat.

A. Laetentur filii ecclesiae,
Inter flores martyrum
Beati Livini
Exsultantes celebritate,
Qui adeptus, quam meruit,
Palmam victoriae
Nobis, petimus, apud Deum
Subveniat pia intercessione.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Personis trinum,
simpla deitate sed unum
Laudemus regem,
Livinum glorificantem,
Qui testem tantum
elegit sanguine dignum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Floruit egregiis
infans Livinus in actis,
Scotia quem genuit,
patronum Gallia sentit.

2. Qui dum viscerea
matris membratur in aula,
Nondum natus homo
dignatur amore superno.

3. Spiritus in specie
rumpens nocturna columbae
Lacteolis guttis
ter lustrat basia matris.

Responsoria.

1. Electus Christi
martyr Livinus

Ex utero matris
a Deo praeelectus
Regalem, qua
pollebat, libertatem
Ad regis aeterni
transtulit servitium.
V. Intendens summis
animum puerilibus annis.

2. Inter proceres regni
sanctus martyr
Famulatum
exsequens Dei
Per sacrae iustitiae
observationem
V. Gloriosam meruit
virtutum operationem.

3. Venerandae indolis
Puer condolens torqueri
Vexatos miserabiliter
Oravit et exoravit
Liberari mirabiliter
V. Expansis in caelum manibus
Et lacrimabiliter
Surrectis luminibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ortu pusioli
laetantur cuncta Livini
Nec laetis hominum
dissentit gratia rerum.

2. Tempore baptismi
proceres cum principe regni
Fonte levant puerum,
nec defit ab aethere signum.

3. Dextra superveniens
adest puerum benedicens,
O quam felices
tanti prolis genitores.

Responsoria.

1. Compatiens nutrici
clementia adulescentis,
Ingredienti
viam universae carnis,
Dum adest,
ubi iacet conclamata,
Iam euntem revocat
ab inferis ad superna.
V. Inter deflentes
appellans iudicis aures
Perfusus lacrimis
dum transit caelica votis.

2. Fidelis Christi servus
angelo praeeunte
Deductus quasi florem
cum gramine
Camporum
inmersis pedibus
Supergreditur
mare procellosum.
V. Quo transit sanctus
tanto ductore Livinus,
Unda iacet, non aura nocet,
liquor invius haeret.

3. Sacerdos
Dei Livinus,
Pontificali cathedra
sublimatus,
Dum susciperet
sanctam benedictionem,
Intonat ad
eius probationem:
V. *Ecce, sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo et inventus est iustus.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus Livinus
populari laude remotus
Terrea vota fugit
et celsa palatia spernit.

2. Inter deserta
loca cunctis invia silvae
Silvestris victus
teneros depascitur artus.

3. Turbavit regni
faciem discessio sancti,
Rex accersitum
monet, orat degere secum.

Responsoria.

1. Ingrediens sanctus domum
paralysi laborantis
Nullum praeter linguam
movere membra valentis
Surge, ait, homo et
aquam mihi porrige lasso.
V. Surrexit sanus, nescientis
Meritum praevenit virtus.

2. Gemma Dei,
martyr Livine,
Flos caelestis,
lux patriae,
Liberator magnificus,
pereuntium servorum
Offer laudes intra summae
pietatis sacrarium,
V. Qui super mare pedes
Cucurristi,
Et naufragio pereuntium.

3. O summae virtutis auctorem,
Incisam servi linguam
Officio restituentem,
Et videntes igne caelesti
Subito consumentem!
Sancte, martyr, averte saevam
Tanti iudicis iram ultricem;
V. Iam tortores
[urit] ignis gehennae,
Et te coronatum
delectat gloria vitae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sollicitum curis
Livinum religiosis
Angelus haerentem
solatur et ire nolentem.

2. Vade, ait, Anglorum et
manet insula glorificandum
Te per eum regem,
cui servis, cuncta regentem.

3. Ecce, tui ductor
sum missus nec veniator,
Non percuncteris,
per Christum nam gradieris.

4. Anima iusti
ab angelis suscepta
Videntibus, qui aderant,
in caelum est delata;
Mors sanctorum
o quam pretiosa.

5. Concurrunt fideles quoque.
Inter quos Graphildis
Cum Briccio, in fonte
Quem sanctus martyr
Suscepit de sancto fonte.

Ad Benedictus.

A. Pretiosus athleta
Domini Livinus
Matre seorsum, sed filio
secum posito
In loco sepulcri
hodie tripudiat
Feliciter in caelestibus,
cum quibus
Laudat Deum et dicit:
Benedictus Deus Israel.

Brev. ms. Burghusense saec. 15. Clm. Monacen. 5246. A. — Brev. S. Servatii Traiecten. imp. Coloniae 1503. B. — Novale Sanctorum auct. Io. Gielemans saec. 15. Cod. 9363 der k. u. k. Fidei-Comiss-Bibliothek Wien. C. — In 1. Vesp. hat B nur eine **A** super Ps.: Gemma Dei, martyr Livine, etc. bis zum V. — In 1. Noct. **A** 1, 2 infans in actu Livinus A. — **A** 2, 1 viscera AB. — In 2. Noct. **A** 2, 4 desit AB. — **A** 3, 1 Dextera B. — In 3. Noct. **A** 2, 2 cunctis invia silvae fehlen A. — **A** 2, 3 fehlt A. — **R** 3 fehlt B, dafür ein prosaisches. — **R** 3, 8 fehlt wohl ein Zeitwort, da sich delectat doch nicht wohl auf ignis gehennae beziehen lässt. — **A** 2, 1 angelorum A. — In Laud. **A** 1 Anima iusti etc. B; dann folgen vier **AA**, die aber dem Hymnus entnommen sind. — C hat unter der Aufschrift „Cursus

sancti Livini metrice“ nur folgendes: Invitatorium, die 3 **AA** der ersten Nocturn, den Vers. des ersten **R**; **A** 2 und 3 der 2. Noct.; **A** 1 der dritten Nocturn, den Vers. des zweiten **R** der 2. Noct., die dritte **A** der dritten Nocturn, endlich die **A** ad Magnif. der zweiten Vesper. — Hymnen: Laetum carmen decantetur A (Anal. IV, 183); Hymnum canamus gloriae B (Anal. XII, 156). — Das Leben des hl. Livinus schrieb Bonifatius; es ist nicht ausgeschlossen, dafs er auch Verfasser des Officiums ist.

89. De sancto Lubentio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laus sit regi gloriae,
Qui beatum hodie
Ad caeli palatium
Vocavit Lubentium.

2. Vere dignis laudibus
Colitur Lubentius,
Quem locavit Dominus
In sanctorum coetibus.

3. Laudes, quas offerimus
Nostris pro reatibus,
Immolet Lubentius
Tuis in aspectibus.

4. Intercessor hic confessor
Noster sit fidelis,
Nos consortes gaudiorum
Angelorum et sanctorum
Faciens in caelis.

5. Beatus Lubentius
Pro nobis frequentius
Precibus exoret,
Ut exutos vitiis
Nos Christus deliciis
Caelitus coronet.

Ad Magnificat.

A. O beata contio,
Quae in Dei filio
Sic es decorata,
Per patronum inclitum
Beatum Lubentium
Caelitus dotata,
Vere iuste tu laetaris,
Quae thesaurum super aurum
Rite veneraris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite adoremus Dominum,
Qui hodie sanctum
Decoravit Lubentium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. O Lubenti, presbyter
Domino dilecte,
Tu ad caeli regiam
ductus es directe.

2. Ubi cum caelicolis
rite gloriaris
Et in terris miseris
compati probaris.

3. Tu in terris positus
in Dei virtute
Es imbutus caelitus,
nunc exsultas tute.

Responsoria.

1. Beatus Lubentius
Suis a parentibus
Martino oblatus,
Sacro de baptismate
Ab eodem praesule
Exstitit levatus,
V. Quem amatum nimium
Spiritalem filium
Sibi adoptavit.

2. Martinus infantulum
Pontifex Lubentium
De fonte susceptum

Imbuit catholice,
Post annos pueritiae
In virum perfectum,
V. Ut abiectis vitiis
Annorum initiis
Crescat in virtutibus.
3. Ut lipsana corporis
Maximini praesulis
Christus revelaret,
Dum devotis precibus
Beatus Lubentius
Anhelus oraret,
V. Accidit, ut angelus
Optatum fidelibus
Locum indicaret.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Te lotum baptismate
Suscepit Martinus,
Pontifex te iuvene
Pascit Maximinus.
2. In quorum consortio
Nunc es collaudando,
Trinitatis speculo
Deum contemplando.
3. Ergo, pater inclite,
Preces tibi damus,
Opem tuis meritis
Quoniam speramus.

Responsoria.

1. Visitandi gratia
Trevirim Martinus
Venit, ubi pontifex
Fuit Maximinus,
Lubentius indolis
Bonae comitatur,
A Martino Maximino
Qui et commendatur;
V. Suscipit hic iuvenem
Praesul ad alendum
Et erudiendum.
2. Praesul Maximinus
Iuvenem non minus
Amans quam Martinus,
Eius quem patrinus
Sibi commendavit,
Pavit et post aliquot
Annos in presbyterum
Digne consecravit,
V. Ut virtutes plurimas,
Quas a sanctis suxerat,
Hic eructaret.
3. In utroque flumine
Logenae et Rheni
Raptim contra gurgitem
Fluminis amoeni
Lembus in spectaculum
Conscendit sequentium
Plebis atque cleri,
V. Novo viso miraculo
Occurrit multorum
Turba populorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum vir Dei spatium
Vitae complevisset
Et felicem spiritum
Deo reddidisset,
Tristantur vicini.
2. Cubrini se praeparant
Corpus tumulare
Nec a Deo poterant
Idem impetrare,
Unde luctus omnibus
Est communis.
3. Quaerunt in ecclesia
Corpus sepeliri,
Nec locus quaerentibus
Potest inveniri
Deo pio curante.

Responsoria.

1. Meritis eximii
Femina Lubentii
In Laynsten a mania
Debilis curatur

Et vigoris pristini
Datione praedii
Dati reformatur,
V. Ibi fons scaturiens
Nec adhuc deficiens
Haec testificatur.

2. Transnatavit flumina
tria vir beatus,
Locum sibi quaeritans.
in quo tumulatus,
Nunc patet miraculis,
Deo quod sit gratus;
V. Haec sunt tria flumina:
Rhenus et Logena,
Mosella per scopulos
fluens ad amoena.

3. Felix haec basilica,
quam fundavit crus
In devexi scopuli
vertice Dithgerus,
Quam colit gens plurima
devotusque clerus;
V. In hac laudes iugiter
Deo decantantur,
Inibi fidelium
preces immolantur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Convocantur praesules
denique primates
Et clerus cum populo
Deo supplicantes.

2. Timor omnes concutit,
nec est vere mirum,
Quod solum non poterant
sepelire virum.

3. Quisque, quod utilius
est, studet ordiri,
Quid sit efficacius,
nequit inveniri.

4. Tandem corpus linteri
tollunt imponendum,
Quem providit Dominus
loco deferendum.

5. Benedictus Dominus,
nullo remigante
Locus adest ocius
nave properante.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
In cuius aspectibus
Beatus Lubentius
Est tripudiando,
Ipse suis precibus
Pro nostris reatibus
Veniam poscentibus
Impetret orando.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Celebret devotio
sancta confessorem,
Quem in temporalibus
habet provisorem
Apud Dei filium
et intercessorem,
Non pro negligentiis
ut accusatorem.

Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. s. n. A. — Antiph. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 172. B. — B ist leider unvollständig. — In 2. Noct. **A** 1, 3 iuveni A. — In 3. Noct. **A** 2, 1 Cubruni A. — **B** 3, 4 dnthgerus AB. — In Laud. **A** 4, 3 praevidit AB. — Hiezu der Hymnus Anal. XII, No. 281.

90. De sancto Lucio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudate, pueri, Dominum,
Qui beatum Lucium
Puerilia vitantem
In caelis fovet nunc laetantem.

2. LaudateDominum,omnesgentes,
Prece Lucii confidentes

Non sentire post hoc infernum,
Aptae regnum ad aeternum.

3. Lauda, anima fidelis,
Tam in terra, quam in caelis
Lucii migrationem
Et in caelis generationem.

4. Laudate Deum, qui bonus,
Qui peccati tollit onus,
Ut non contingat peius,
Nos servet ad preces eius.

5. Lauda, Ierusalem superna,
Tui cives et lucerna
Gaudent, qui lucet reis,
Luce qua iungamur eis.

Ad Magnificat.

A. Suscepit Deus puerum
Suum beatum Lucium
De valle miseriae
Ad thronum gloriae,
Collocans eum hodie
Cum angelis in requie,
Quam promisit Abrahae
Et semini eius in saecula.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus regem martyrum,
Qui coronavit sanctum Lucium
Et praeoccupemus faciem
Eius in confessione.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mediator legis divinae,
Sicut lignum secus aquas viride
Transplantatus martyr beatus
Pro Christo se tradens supplicio,
In caeli coronatur solio.

2. In Romana constitutus sede
Sicut aurum in virtute
Probatus patientiae,
Fulsit ut sol in amore
Fundatus sapientiae.

3. In apostolatus sedens culmine
Certat in certamine,
Dei fretus munere
Palmam fert victoriae.

Responsoria.

1. Electus Dei pontifex
Et martyr Lucius
Romanorum patienter
Ferens persecutiones,
Sed divino adhaerens mandato
Parvipendet taedia vitae;
V. Intenderunt arcum suum,
Ut martyrem delerent innoxium.

2. Ut sol fulgens in virtute
Martyr Dei Lucius,
Quem rex caelestis curiae
Dono decorat gloriae,
Spe caelesti sublimatus
Regnat martyr coronatus.
V. Deferens autem secum
Opera iustitiae,
Propter quae perfruitur
Praemiis iustitiae.

3. Vir inclitus, martyr Lucius,
Vigens virtute patientiae,
Mundi huius sprevit ima,
Constanter sustinuit
Tormentorum supplicia,
Et per immanis
martyrii palmam
Sedem caelestium
adeptus est almam.
V. Qui tentus a Romanis
Sacro truncatur capite,
Cuius capitis testam
Praesens fovet ecclesia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. In sede Romana
Gloriosus emicuit,
Sancto repletus spiritu
Virtutis formam praebuit.

2. Scuto spei praemunitus
Terrena non metuit,

Fide Christi roboratus
Caritate viguit.

3. Gloria et honore
Fulgebat vir iustitiae,
In cuius mentis culmine
Manebat paraclitus gratiae.

Responsoria.

1. Dono refulgens gratiae
Sede locatur gloriae,
Quo rectore Romanorum
Fides suscepit incrementum
Ad delendam hostis fraudem,
Ad augendam Christi laudem.
V. A Domino martyri datum est,
Et est mirabile in oculis nostris.

2. Flagrabat beati martyris
Mens flamma sancti spiritus,
Cuius amoris gratia
Saevissimi spiculatoris
Non exhorruit gladium
Caput amputantis,
V. Qui consummato
cursu coronam
A Christo percepit optatam,
Suis precibus nobis aeternum
Acquirat regnum.

3. Praesul Christi, triumphali
Virtutum mysterio
Decertasti, miles invicte,
Terge nostra vitia
Orandi instantia,
V. Quoniam delictorum
Nexu premimur,
Sed per te absolvamur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino suo martyr
Confisus athleta fortis,
Qui devicit iura mortis,
Aegris potum dat salutis
Et solamen destitutis.

2. Habitat in requie
Cultor verae iustitiae,
Superatis carnis hostibus
Triumphat in caelestibus.

3. Benedictionis praeventus gratia
Induitur salutari iustitia,
Potens et imperialis
Choris inseritur angelicis
Pontifex regalis.

Responsoria.

1. Migrans martyr ad superna
Summus praesul gaudia,
Cuius patrocinia
Praesens procurat ecclesia,
Sentienda merita
Et multimoda solatia.
V. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam gloriae.*

2. Apparent nunc
nostri patroni
Sollemnia festiva,
Qui in Romana
sede triumphans
Floruit ut oliva,
Tanti sancti
laudabilis victoria,
Novae laudis
refulget gloria.
V. Iesu Christe, te laudamus,
Collaudando veneramur
Beatum papam Lucium,
Quem nobis des propitium.

3. O felix martyr,
Luci invictissime,
Praesul Christi sacratissime,
Tuo poscas oramine
Nostrae incrementum ecclesiae,
Audi vota fidelium
Tibi nunc supplicantium.
V. Qui factus es Deo hostia viva
Sacro plexus capite,
Sed in caelis coronaris
Diademate gloriae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hanc sanctam domum,
In qua quiescunt Lucii
Sacratae reliquiae,
Decet pax et sanctitudo
In longitudine dierum.

2. Beatissime praesul,
Qui inter rosea
Martyrum agmina
Mirifice splendes,
Nos tibi supplices
Tuearis atque defendas.

3. Benedixit Deum
In vita sua
Martyr iste, ideo
Exaltavit eum,
Beatificatum
Patronum huic ecclesiae.

4. Omnia, quae moventur in aquis,
Benedicite Dominum,
Qui in translatione
Lucii martyris
Ex Baltico mari exterruit
Horribile daemonium.

5. Laudes utinam dignas referamus
Beato Lucio,
Pro cuius victoria martyrum
Chorus laudet Dominum.

Ad Benedictus.

A. O beata martyris
et praesulis praeconia,
Quem laureatum
in caelis agmina
In suum consortium
Suscipiunt angelica,
Tuos supplices conserva
Et a criminibus
Emunda et terge.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christum caelorum
Regem et Dominum
Magnificet agmen praesulum,
Qui in suum sacrum collegium
Susceperunt martyrem Lucium;
Ergo petit sua familia,
Ut per eius magnalia
Decantet Deo gloriam.

Brev. Roschildense imp. Parisiis 1517. A. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. B. — Brev. Othinense imp. Lubecae 1497. C. — In 1. Vesp. Super Ps. haben BC nur eine A:

O martyr Luci beatissime,
Honor et laus nostrae provinciae,
Qui ecclesiam Roschildensem
Tuo foves proprio
Decoratus sanguine,
Caelesti resultans in agmine,
Ad te suspirantibus,
Intende tibi, quaesumus,
Famulantibus.

A 5, 2 Lies: Tui cives de lucerna? — A 5, 3 Lies: quae lucet? — Ad Magn. A lautet in BC:

Magnificet contio nostra Dominum
Per sanctum Lucium,
Pontificem mirificum,
Qui mare Balticum,
Periculis invium,
Sui capitis transfretatione
Fecit magis pervium,
Quietum et tranquillum;
Ergo precemur illum,

Ut nos ereptos
Huius mundi fluctibus,
Suis sanctis precibus
Caeli coniungat civibus.

In 1. Noct. **R** 2, 10 Praemiis vitae A. — In 2. Noct. **A** 2, 3 Christi coronatus B. — **R** 2, 2 spiritus sancti A. — In 3. Noct. **R** 1, 4 Roschildensis procurat BC. — **R** 2, 3 Gaudia festiva BC. — **R** 2, 10 fulget gloria A. — **R** 2, 11 In te Christe B, collaudamus BC. — **R** 2, 13 Beatum virum Lucium B, Beatum Lucium C. — **R** 3, 3 fehlt BC. — In Laud. **A** 2, 1 Venerande praesul C. — **A** 2, 3 Caelestium agmina C. — **A** 2, 4 Viriliter certans C. **A** 2, 5 Studii certamine C. — **A** 2, 6 Semper exsultans C. — **A** 3, 2 fehlt AB. — **AA** 1, 4 und 5 prosaisch C. — In 2. Vesp. Ad Mag. **A**, 2 fehlt B. — Ibid. 8 Decantent A, laudem Deo B. — Die drei zugehörigen Hymnen cfr. Anal. XXIII Nr. 397 sqq.

91. De sancto Ludgero.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

Gloriosi confessoris Christi
Ludgeri sollemnia
Devoto concentu
celebret ecclesia,
Quem Domini
pietas sublimavit
Et sanctorum
claritate glorificavit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Aeterno regi
iubilum resonate canorum,
Ludgerum merito
qui vexit ad alta polorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus Ludgerus, ortus
Ex genere nobilium,
Tanquam fructiferum lignum
Deo in ecclesia
Fecit fructum dignum.

2. Ubi postmodum praedicans
Praeceptum Domini,
Gentes congregavit
In unitatem fidei.

3. Invocantem se Deus exaudivit,
Dum pro construendo
Verdensi coenobio
Silvam et sine ferro praescidit.

Responsoria.

1. Beatus Ludgerus,
In scripturis sacris
Ad summum eruditus,
Gentem Frisonum
Convertit ad Dominum;
V. Fidei quippe semen
cupiens seminare per orbem,
Brabantos et Saxones
Christo fecit esse fideles.

2. Vita vir sanctus,
verbo quoque testificatus,
A puero Christum
mentem iactabat in ipsum,
V. In lege Domini
nocte meditatus dieque.

3. Suscepto igitur fidei
ac caritatis cinctorio
Beato coepit
adhaerere Gregorio,
Qui cum episcopus
esset apud Traiectum.
Eum prae ceteris
magis habebat acceptum.
V. Quem quia Deo et hominibus
novit esse dilectum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Viri Dei dum super his
Divina laudaret magnalia,
Scuto bonae voluntatis
A Deo coronatus est in gloria.
2. O admirabile divinitatis
Nomen et miraculum,
Qui inter omnes casus arborum
Unam ei dimisit ad umbraculum.
3. Unde in Domino confidens
Et eum benedicens
Opus ecclesiae inchoavit,
Quod iam olim desideravit.

Responsoria.

1. Dum lucerna
Christi Ludgerus
In candelabro
exaltaretur
pontificatus,
Ut in Monasteriensi ecclesia
Lumen praestaret omnibus,
Honorem illum
suscepit invitus.
V. Quoniam prodesse semper
Quam praeesse maluit
Sublimia fugiens,
Humilia cupiens.
2. Abscondit hispidum
Sub honesta veste cilicium
Carnem macerans,
Spiritum roborans,
Christi templum et odor bonus
Factus est in saeculis,
V. Iucundus apud homines,
Devotus Deo per immensos
Et absconditos labores.
3. Virtus Ludgeri
morbis consueta mederi,
Daemone vexatis,
claudis et morte gravatis,
Surdis et mutis
concessit dona salutis;
V. Scribantur haec Ludgeri opera
In generatione altera,
Ut laudetur Deus in saecula.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domum Domino vir beatus
In terris studuit aedificare,
Ut in monte sancto eius
Constitutus
mereretur habitare.
2. Super salutare Dei
Vehementer exsultavit,
Dum genti Saxonicae
Verbum vitae praedicavit
Indesinenter.
3. Hic accipiet
benedictionem a Domino,
Qui infirmantibus
sanitate
Indigentibus
succurrit largitate.

Responsoria.

1. Cum vir sanctus,
virtutum gratia
Plenus, ex hac
luce migravit,
Splendor ignis
de caelo veniens
Totam illustravit
provinciam;
V. In oculis Karoli
et totius terrae
Lumen apparuit
visu mirabile,
2. O pater alme, tui,
Ludgere, preces gregis audi,
Esto tuis portus,
ubi lucis panditur ortus,
Ne nos cum mundo
pelagi trahat unda profundo;
V. *Quia apud Dominum misericordia est et copiosa redemptio.*

3. Postquam Ludgerus
divino munere fretus
Umbras silvarum
stravit latebrasque ferarum,
Ecclesiam statuit,
tenebras ubi luce fugavit,

V. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et requiem ei in saeculum.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Armis indutus
fidei lumbosque recinctus
Idola Ludgerus
stravit, lucis incola verus.

2. Sancta patris pietate
Ferae carent feritate,
Dona patent sumpta prave
Sparso melle, rupto vase.

3. Horam Ludgerus
mortis praenoscere dignus
Corporis et requiem,
benedixit cunctipotentem.

4. Consummatoque feliciter
Praesentis vitae circulo
Beato pariter et dudum
Optato transitu
Sanctus Ludgerus migravit
Ad Dominum Iesum Christum.

5. Beati viri merita
Lux declaravit caelica,
Nocte fulgens media
Cum sancto petit aethera,
Quem manus fert angelica.
Sit Christo regi gloria.

Ad Benedictus.

A. Ex odoris
mira fraglantia
Dei in servo suo
ostensa est potentia,
Cum post mortis
diem tricesimum
Nullum sensit
corruptionis vestigium;
Benedictus
Dominus in saecula,
Qui cornu sui famuli
tanta sublimavit gloria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sancte Ludgere,
Tuos famulos
Pio precatu
Ab omni culpa
Emunda
Commendans
Deo caelestium,
Ut consortes faciat
Gaudiorum.

Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Monasterien. 201 (204). A. — Brev. ms. Monasteriense imp. s. l. 1489. B. — Brev. Monasteriense imp. Parisiis 1518. C. — In 1. Vesp. Super Ps. **A** Gloriosi confessoris etc. A. — Ad Magn. **A** in A:

Ludgeri celebria
Corde devoto
Celebremus sollemnia,
Quem Dominus virtutum
Stola immortalitatis indutum
Inter caelicolas hodie
Sublimavit gloriae,
Cuius nos salvifica
Christo commendent patrocinia.

In 1. Noct. **R** 1, 1 Sanctus Ludgerus C. — In 2. Noct. **R** 1, 1 Dum lucerna A. — In Laud. **A** 2, 3 sumpto A. — Hiezu der Hymnus Anal. XI Nr. 316.

92. De s. Ludovico Episcopo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Flos germen florum,
Ludovicus, spretor honorum,
Flos praelatorum
fulget sub fune Minorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem orbis opificem,
Animarum praelatum,
Laudemus per pontificem,
Caroli regis natum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sinceri pueri,
puri, teneri Ludovici
Mens in lege Dei
voluit iugiter meditari.

2. Rex fit perpetuus
in monte Sion Ludovicus,
Qui propter Christum
contempsit nobile regnum.

3. Voce precum clamat
ad eum, qui cuncta creavit,
Ut mundum teneat
ipsum, quem sanguine pavit.

Responsoria.

1. Lux primaeva novo
radiavit lumine saeclo
Praesule transmisso
morum norma Ludovico,
V. Mittitur antistes,
regalis inclita proles,
Lux oculis omnium
per pia gesta micans.

2 Labilis orbis opes
et honores abdicat omnes,
Ad patriam properans,
patris simul foedere flagrans,
V. Nulla caduca petit,
iugiter caelestia quaerit,
Aspera non metuit,
grandia falsa fugit.

3. Scripturae sanctae
tribuens primordia vitae.
Fervidus arcana
studio precibusque subintrat,
V. Sacra legens orat,
documenta salubria mirans,
Raptus suspirat
fletibus ora rigans.

In 2. Nocturno.

1. Mirificavit eum
Dominus, quem plurima sanctum
Sancta probant opera
monstrantque frequentia signa.

2. Mane Deo vigilans
ligno crucis astitit orans,
Profusis lacrimis
contemplans gesta salutis.

3. Quem pudor et pietas,
humilis quem vita decorat,
Hunc Deus exaltat,
et regis honore coronat.

Responsoria.

1. Pauperibus miserans,
bis matrum viscera praebens,
Obsequitur palpans,
tegens, alimenta ministrans;
V. O magnum pietatis opus,
regalis alumnus
Abluit aegrotis
ulcera foeda nimis.

2. En, post Franciscum
properare vide Ludovicum,
Qui cupit excelsum
reperire per infima Christum,
V. Hic moriens mundo
reperitur vivere Christo,

Cui vivens humilis
cuncta superba premit.
3. Sumere sacratum
missae cupiens sacramentum,
Cor plorat, acta luit,
oculos lavat, abdita pandit;
V. Sumitur esca crucis,
et mens pia tota liquescit,
Dulcia cum lacrimis
inter amara bibit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Florens excelsum
meruit conscendere caelum
Plantula iustitiae
caelesti iuncta coronae.
2. Hunc nec avarus amor
nec vanus honor potuere
Nec turpis fervor
virtutis ab arce movere.
3. Quae quaerit Dominum,
generat generatio sanctum,
Qui Dominum quaerit,
et quem Dominus benedicit.

Responsoria.

1. Angelicam vitam
Ludovicus duxit et almam,
Mundus ab hoc mundo
procedens hoste subacto,
V. Hic carne caro
carnis sine crimine virgo
Creditur angelicum
promeruisse gradum.
2. Anxia corda iuvans
et morbida corpora curans,
Languida tu sana,
nostris pro finibus ora,
V. Ludovice, preces,
facito gaudere fideles,
Nam tua dona petunt,
qui tua festa colunt.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Omnia, Christe, mea
vel iura vel inclita regna
Victus amore tuo
spontanea mente relinquo.
2. Ad mea dona veni,
Ludovice, perennia caeli,
Qui tua cuncta mihi
tecum pariter tribuisti.
3. Christo, non mundo
Ludovicus pectore mundo,
Paci, non liti
se praebet pectore miti.
4. Te benedico Deum,
quia me devincere mundum
Intacto calle
fecisti, rex benedicte.
5. Laudibus excelsi
mens invigilans Ludovici
Aedibus angelicis
sacris sociatur in hymnis.

Ad Benedictus.

A. Quem Deus extollit
et cuius opem capit orbis,
Eius virtutes
ascribit papa Iohannes.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O qui perpetua
gaudes, Ludovice, corona,
Excusans ora
pro nobis mortis in hora.

Alia Antiphona.

Flos regale genus,
humilis mens, munda iuventus.
Pontificale decus,
sacra vita, scientia, virtus
Te, Ludovice, probant,
te nostra rogamina pulsant.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 1314. A. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vatican. 4759. B — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Neapolitan. I B 23. C. — Brev. Romanum imp. Papiae 1494. D. — Brev. Granatense imp. Granatae 1506. E. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1521. F.

In 1. Vesp. AA super Ps. wie in den Laudes. — Ad Magn. A O felix Marsilia etc. F; entlehnt aus dem Officium Nr. 94. — Invit. 3 per fehlt F. — In 2. Noct. A 1, 3 Sacra probant F. — A 3, 4 regis honorat decorat F. — In Laud. A 1, 1 sq. Languida vel iura inclita regna BC. — A 1, 3 Motus amore BC. — A 2, 3 Quia tua BF. — A 2, 4 tribiusti fehlt F. — Hiezu die Hymnen Anal. XI Nr. 334—336.

Aus diesem Officium, sowie den zugehörigen Hymnen, ist ein sog. Stundenlied gebildet, das sich findet in Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Brugen. 321, beginnt: Sinceri puri pueri etc. und 62 Verse zählt.

93. De s. Ludovico Episcopo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ludovicus, filius
   Regis sempiterni
   A dextris sublimius
   Throni stat paterni.
2. Confessor hic magnificus,
   In Domini timore
   Fundatus, ut vir caelicus
   Excrevit in amore.
3. Dispersit dans pauperibus
   Iustitia firmatus,
   Quibus relictis omnibus
   Fuit assimilatus.
4. Laudavit pure Dominum,
   Quem ex alto respexit
   Verus pater humilium
   Et superis invexit.
5. Ab universis populis
   Deo laus gaudiosa,
   Pia, fervens et humilis
   Detur ac iubilosa.

Ad Magnificat.

A. Ludovicus,
   vasculum luminis,
   Imitatus
   solem iustitiae,
   Mundialis
   sceptrum regiminis
   Confutavit
   Minorum acie,
   Se deponens
   laetatur numinis
   Consors factus
   regno laetitiae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem, qui regit omnia
Vox cordi concors laudet,
In cuius sanctus gloria
Ludovicus congaudet.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir dum cathedram
   Regalem aspernatur,
   Divinae legis exedram
   Ferventer amplexatur.
2. O reges, intellegite,
   Timete creatorem,
   Exemplo sancti discite
   Amare redemptorem.
3. Suscepit sanctum Dominus
   Exaltans gloriose,
   Quem hic a tribulantibus
   Defendit virtuose.

Responsoria.

1. Ludovicus ut animum
Christo coepit dicare,
Carnis mox supercilium
Disposuit frenare,
Se, mundum et daemonium
Conatur superare,
V. Rationis imperium
Sequens ancillae filium
Non sinit rebellare.

2. Supplantans nequam saeculum
Iacob peregrinatur,
Veri Salomon ferculum
Scrutans illuminatur,
Amore fervens speculum
Aeternum contemplatur,
V. Mundi vitans periculum
Laboris sumit sarculum,
Ut Rachele fruatur.

3. Regnum mundi
vir sanctus deserens
Nil habere
mundanum voluit,
Vanitatis
cultum despiciens
Terra caelum
mercari maluit;
V. Clarum nobis
exemplum tribuens
Non amandi,
quae ipse renuit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocavit altissimum
Clamans, dum tribulatur,
Quem dilatavit plurimum
Christus, dum malleatur.

2. Toto corde Dominum
Amans acquisivit
Beatorum agminum
Regnum, quod sitivit.

3. Laudem Deus perficit
Ex lactentis ore,
Quo grex Christi proficit
Sub tanto pastore.

Responsoria.

1. Consecratur
sanctus uberius
Ordinibus
sumptis humiliter,
Melchisedech
existens alius,
Rex, sacerdos
factus insigniter,
Hoc effecit
Mariae filius
Ipsum trahens
ad se benigniter;
V. Intercedat
pro nobis carius,
Quos deturpant
peccata vilius
Et opprimunt
bella crudeliter.

2. Francisci verus filius
Optat humiliari,
Verens omne sublimius
Recusat praesulari,
V. Cogit Christi vicarius
Disponens Dei ovibus
Pastorem talem dari.

3. Ioseph adcrescens filius
Hic esse comprobatur,
Dum noscens Deum clarius
Distribuit fidelibus,
Quod sibi commendatur;
V. Mulieris adulterae,
Quae regibus dat bibere,
Amplexus detestatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix habitat gaudenter
In caeli palatio,
Quia vixit innocenter
Omni presso vitio.

2. Sanctum tuum praevenisti
Benedicens dulciter
Et ad regna promovisti,
Iesu rex, sublimiter.

3. Corde mundus et opere
Ascendit caeli montem,
Ad quem pervenit propere,
Ut bibat vitae fontem.

Responsoria.

1. Exaltatus
ad pontificium
Se deiecit
ut verus humilis,
Debilibus
praebens obsequium,
Pascens eos
benignis epulis;
V. Magnum mente
sumit solatium
Solans piis
leprosos osculis.

2. Lucerna lucens
super candelabrum
Dignitatis
mire resplenduit,
Aequum manu
tenens ventilabrum
Pro meritis
condigna tribuit,
V. Intus ardens,
splendens ad proximum
Recte locum
magistri tenuit.

3. Christi servus pauperibus
Servit flexis poplicibus
Cibos eis adponit,
Aquam dans plantis, manibus
Cum osculis humilibus
In pulvere os ponit;
V. Iesu passi vulneribus
Mentis impressis sensibus
Despectis altis omnibus
In imis se deponit.

In Laudibus

Antiphonae.

1. Domus sapientiae
Firmiter fundata,
Ludovico gratiae
Dono commendata,
Perfectae iustitiae
Donis est ornata.

2. Iesu dulcis dulciter
Gustans bonitatem
Iubilat feliciter
Et aeternitatem
Intrans integraliter
Noscit veritatem.

3. Vigilavit diligenter
Horam sponsi nesciens,
Laboravit vehementer
Ad te, Deus, sitiens,
Quem traxit ad se potenter
Virtus indeficiens.

4. Benedicte Domine,
Te benedicentem
Replevisti lumine,
Quo tuo fruentem
Perfecisti numine.

5. Ludovicus Dominum
Laudavit in organo
Sanctae melodiae,
Vitae cernens terminum,
Crucis haerens tympano
Studuit sophiae.

Ad Benedictus.

A. Ludovicus
a patre luminum
Lucis donum
mundo tribuitur,
Vitae custos
bonorum omnium
Ecclesiae
digne praeficitur;
Nos errantes
per mundi devium
Secum locet,
ubi nunc fruitur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Caelo splendor apparuit
Ecclesiae bellantis,
Dum Ludovicus claruit
Stellae more micantis,
Cuius prece perficitur,
Nos et heredes faciat
Iesus urbis laetantis.

Brev. ms. Iohannae Ebroicae, reginae Franciae, † 1371 (Privatbesitz) A. — Brev. ms. Card. Borbonii saec. 16. Cod. Parisin. 1288. B. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vaticau. 4752. C. — Noct. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Lugdunen. 476. D. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Rossian. s. n. E. — Brev. ms. Franciscanum anni 1464. Cod. Admonten. 851. F. Brev. Tarraconense imp. Barcinonae 1484. G.

In 1. Vesp. **AA** super Ps. fehlen; einzige **A** sup. Ps. Ludovicus vasculum luminis G. — **A** 1, 1 sq. Ludovicus regis filius F. — **A** 4, 3 Vexus pater E. — Ad Magn. **A**, 9 sq. Sed de[ponens] laetatur in hymnis E, Reponens laetatur in ymis F. — Invit. 2 cordi concorda E. — Ibid. 3 In cuius sanctus Ludovicus E; In cuius stans gloria F. — Ibid. 4 Congaudet gloriae E. — In 1. Noct. **A** 1, 3 legis dexteram E. — **R** 1, 1 Ludovicus ut amicus G. — **R** 2, 3 Salomonis EF. — In 2. Noct. **A** 1, 4 dum valeatur G. — **A** 3, 2 Et laetentis G. — **A** 3, 4 Quo rex G. — **R** 2, 4 Resucat E. — **R** 3, 3 nocens G. — In 3. Noct. **A** 2, 1 praevenisti Domine G. — **A** 2, 2 Benedictus G. — **R** 1, 11 sq. Sopiis leprosos E. — **R** 2 fehlt EF. — In Laud. **A** 4, 5 Perfecisti munimine E; Perfecisti Domine G. Es scheint trotz der Übereinstimmung der Hss. eine Zeile zu fehlen, etwa: Ludovici mentem? — Hymnen: In 1. Vesp.: Vergente mundi vespere (Anal. IV Nr. 345 und 344); ad Noct.: Dum medium silentium (Ibid. Nr. 347 und 348); ad Laudes: Aurora lucis rutilat (Ibid. 346).

94. De s. Ludovico Episcopo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Tecum fuit principium,
Beate Ludovice,
Virtutum Christus omnium
Pro meritorum vice.

2. Mira magnificentia
Praefulsit virtuali,
Cuius mansit iustitia
Cum gradu pastorali.

3. Exortum est in tenebris
Praeclarum rectis lumen,
Quod in te Sion latebris
Impressit Christi numen.

4. Sic ex terrenis opibus
Hunc Deus suscitavit
Et cum sui principibus
Populi collocavit.

5. Deum laudet prae ceteris
Urbs eius Tolosana
Pro signo tanti foederis
Laude quotidiana.

Ad Magnificat.

A. O felix Marsilia,
portus salutaris,
Ludovicum posside,
cuius illustraris
Signis et prodigiis
velut stella maris,
Ad te currunt proprie
cuncti patientes,
Orant et accipiunt
devote petentes,
Revertuntur prospere
sani congaudentes.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem, qui regit omnia,
Chorus laudet sacratus,

Cum quo regnat in gloria
Ludovicus beatus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ludovicus aequitatis
Dum sedet in solio,
Caeli madens fluvio
Dedit fructus pietatis.
2. Super Sion praedicavit
Praeceptum dominicum,
Quod Deus ut unicum
Filium sic adoptavit.
3. Voce supplicationis
Clamavit ad Dominum
Et optatum terminum
Sumpsit exauditionis.

Responsoria.

1. Regis summi potentia
De stirpe dedit regia
Beatum Ludovicum,
Qui sumens vitae tramitem
Habet magistrum militem
Sanctitatis amicum,
V. Sanctum florem praeludia
Monstrant, dum tenet limitem
Humilem et pudicum.
2. Dum sub tenello pectore
Virtutis sumpto robore
Portat poenalitatem,
Pro patre vinctus aspere
Manens in arto carcere
Monstrat hilaritatem;
V. Non, inquit, in hoc tempore
Sic prosunt capta prospere
Ut per adversitatem.
3. Ad perfectam scientiam
Cito per assistentiam
Venit fratrum minorum,
Qui post felix exsilium
Floret in lucem gentium
Facundia verborum;
V. Quod per divinam gratiam
Factum infra septennium
Mens credit devotorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Post cor sancti dilatatum,
Filii vos hominum,
Scitote per Dominum
Sanctum sic mirificatum.
2. Intrat praesul Dei templum,
Ut adoret timidus
Et amore fervidus
Se dans cunctis in exemplum.
3. Christe, quem diminuisti
Paulo plus quam supera.
Tua super opera
Praesulem constituisti.

Responsoria.

1. Degens in Aragonia
Multiplicat ieiunia
Tractu devotionis,
Per quem concepit spiritum,
Minorum sumat habitum
Sacrae religionis;
V. Oratione praevia
Vovet tale propositum
Et incorruptionis.
2. Mundi contempta specie
Libens regno Siciliae
Suo renuntiavit
Deumque timens iudicem
Pontificatus apicem
Constanter recusavit,
V. Donec nostrae militiae
Fiat, summum pontificem
Ad istud inclinavit.
3. Francisci carus filius
Augens bonum in melius
Peroptat patrizare,
Cibum flexis poplicibus
Quotidie pauperibus
Non cessat ministrare,

V. Sicque praelatus altius
Humilitatis actibus
Non cessat praedicare.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ludovicus est ingressus
Caeli tabernacula,
Servans sine macula
Semper vitae suae gressus.
2. Benedicens praevenisti,
Domine, cum praevium
Cordis desiderium
Sancto tuo tribuisti.
3. Longe fit ab omni sorde
Deum generatio
Tanto quaerens studio,
Innocens et mundo corde.

Responsoria.

1. Leproso praebet oscula
Nova regalis plantula,
Cultrix humilitatis,
Dat et prompte subvéniens,
Pauperibus compatiens
Minister pietatis,
V. Et mulierum verbula
Velut venenum fugiens
Custos virginitatis.
2. Gradu functus authentico
Imperio papali
Actu viget angelico
Et vita virginali
Verba semper utilia
Loquens, evitat vilia
Voto praecordiali;
V. Subiectas oves dirigit
Ducatu pastorali,
Errantes dure corrigit
Cultro pontificali.
3. Multis vernans miraculis
Vitam concessit mortuis
Surdis praebens auditum,
Et lumen caecis oculis,
Ut credant signis congruis,
Quemvis urget invitum;
V. Nunc residens in arduis
Caelum procura parvulis
Sic per nos concupitum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Tua nunc testimonia
Nimis in toto mundo
Facta sunt credibilia,
Postquam regnas in patria
Fruens cultu iucundo.
2. Cuncta terrarum spatia
Deo debent servire
Nunc in cordis laetitia
Ac per sancti suffragia
Ad Deum introire.
3. Suscepit tua dextera,
Deus, te sitientem,
Cum sacra levant opera
Et elevant ad supera
Post te sic adhaerentem.
4. Omnes virtutes Domini,
Beatae trinitatis
Benedicite nomini,
Quae Ludovicum agmini
Iunxit aeternitatis.
5. Ab universis populis
Detur laus gaudiosa
Deo devotis modulis
Prece beati praesulis,
Signanter a Tolosa.

Ad Benedictus.

A. O vas omnis gratiae
Et verae scientiae,
Praesul, contentivum,
Da salutis et virtutis
Tu doctrinam
Gentibus divinam,

Quae sit lumen
Ad caeli cacumen
Nostri directivum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vergente mundi vespere
Lux oritur de sidere
Mirandae claritatis,
Cum larga Christi dextera
Aegris concedit munera
Optatae sanitatis,
Morbos sanat et vulnera,
Ut exaltentur opera
Supernae bonitatis,
Sic praedicat Marsilia
Ludovici magnalia
Voce iucunditatis.

Brev. ms. Franciscanum anni 1474. Cod. Hilarien. CXII. A. — Brev. ms. Compostellanum saec. 15. Cod. Capit. Compostell. s. n. B. — Brev. ms. Oculense saec. 15. Cod. Matriten. A 147. C. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Claustriburgen. 1164. D. — Brev. ms. S. Crucis Augustanae saec. 15. Clm. Monacen. 4116. E. — Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. F. — Brev. ms. Alphonsi, regis Portugalliae, anni 1484. Cod. Cantabrigen. Mm V 21. G. — Brev. ms. Philippi Boni, Comitis Flandriae saec. 15. Cod. Bruxellen. 9026. H. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 163. I. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 760. K. — Brev. ms. Arelatense saec. 14. Cod. Parisin. 1285. L. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Senen. U VI 3. M. — Brev. ms. Franciscan. Bergomen. saec. 15 Cod. Capit. Patav. A 69. N. — Brev. ms. S. Mariae in Augia saec. 14. et 15. Cod. Lucernen. 106 (35). O. — Brev. ms. S. Mariae in Augia saec. 15. Cod. Lucernen. 13 (50). P. — Brev. ms. Paradisiacum saec. 15. Cod. OO. SS. Scaffhusien. 100. Q. — Noct. ms. Franciscanum saec. 15. Cod Bambergen. Ed. VII 11. R. — Noct. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Palat. Vindobon. 1995. S. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 511. T. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. U. — Brev. ms. Aquilegiense saec. 15. Cod. Semin. Brixinen. s. n. V. — Diurn. ms. Hermetisvillanum saec. 15. Cod. Griesen. 55. W. — Diurn. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Pragen. VII H 8. X. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Taurinen. K III 24. Y. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Roman. 2051 (Sessorian 159). Z. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Roman. 1476 (Sessorian 69). Aa. — Brev. ms. Franciscanum saec. 13/14. Cod. Casanaten. B VI 26 (250). add. saec. 15. Bb. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Casinen. 193. Cc. — Brev. Romanum imp. Basileae 1493. Dd. — Brev. Tolosanum imp. Parisiis 1553. Ee. — Brev Compostellanum imp. Ulixbonae 1497. Ff. — Brev. Hieronymitarum imp Caesaraugustae 1547. Gg. — Brev. Auriense imp. Salmanticae 1501. Hh. — Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. Ii

In 1. Vesp. Super Ps. nur 1 **A** Vergente mundi vespere etc. Ee; statt dieser haben BFf:

O quam clarus pontifex,
Cui supremus opifex
Ita magna fecit.
Magnum natu,
Magnum vita, signis
Coniuncta cum felice
Fine, Ludovice,
Christus te perfecit.

Invit. 1 quem laudant omnia A. — Ibid. 3. Cum quo vivit B. — In 1. Noct. **A** 1, 4 fructus sanctitatis A. — **A** 3 fehlt, statt dessen: Post cor sancti dilatatum etc. Ff. — **R** 2, 1 Cum sub A. — **R** 2, 4 Proprie vinctus A. — **A** 3, 2 Toto per A. — In 2. Noct. **A** 1 Intrat praesul Dei templum etc. Ff. — **A** 2 Christe, quem diminuisti Ff. — **A** 3, 1 Specie quem B, Iste quem Ff. — **A** 3 in Ff:

Confidit in Domino,
Qui odit iniquitatem
Et diligit aequitatem
Coram omni populo.

R 1, 5 Ut Minorum sumat AB. — **R** 1, 8 Novit tale B. — **R** 2, 3 Summo renuntiavit A. — **R** 3, 3 patrissare B. — In 3. Noct. **A** 1, 4 Super suae vitae gressus A. — **R** 1, 4 Dat provite subveniens A. — **R** 3 fehlt BFf; letzteres hat dafür: Sint lumbi vestri praecincti etc.; prosaisch. — In Laud. Ad Bened. **A**, 3 Praesul contempnium A, contiuentium B. — In 2. Vesp. ad. Magn. **A** O felix Marsilia etc. BFf. — Hymnen: In 1. Vesp.: Vergente mundi vespere (Anal. IV, 187); ad Noct.: Dum medium silentium (Ibid. Nr. 348); ad Laudes: Ut lux aurorae rutilat (Ibid. p. 189): in 2. Vesp.: Ludovicus ut amicus (Ibid. l. c.).

95. De sancto Luthardo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Salve, sancte pater,
Christi praecelse minister,
Inclite Lutharde,
peccati vincla resolve.
2. Sanctitate quidem
virtutum praevius idem
Iure sequendus iter
declarans clare magister.
3. Vere Dei famulus,
qui carnis respuit actus,
Sanctarum sanctis
virtutum splenduit actis.
4. Phoebo splendidior
rutilans, mitissime rector,
Ante pium Christum,
mundum qui condidit istum.
5. Dans constanter opem
languentibus atque salutem,
O venerande comes,
conserva te venerantes.
R. Ad laudem Christi
psallentes caelitus isti
Sancto multimodas
pangamus vocibus odas,
V. Unanimes Christo
psallentes pectore toto.

Ad Magnificat.

A. Adest beati Luthardi
Iure veneranda dies,
Qui regum nobilis
Nobilium suboles,
Vitae aeternae palmam
Iam a Christo laetus suscepit
Cursu peracto feliciter.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Surgite, cantemus
et corde pio iubilemus
Luthardo sancto,
iungi mereamur ut agno.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Salve, sancte pater,
Christi praecelse minister,
Inclite Lutharde,
peccati vincla resolve.
2. Sanctitate quidem
virtutum praevius idem,
Iure sequendus, iter
declarans clare magister.
3. Vere Dei famulus,
qui carnis respuit actus,
Sanctarum sanctis
virtutum splenduit actis.

Responsoria.

1. Nobilibus natalibus
Ortus fuit Luthardus,

Sed nobilioribus
Refulsit moribus,
Adhuc puerulus deitatis
Effectus est cultor sublimis,
V. Tanto feliciorem
se probans et nobiliorem.
2. Hic dives mundi
proiecit dulcia mundi,
Propterea meruit
adipisci gaudia caeli;
V. Parva quidem terrena putat,
caelestia captat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Phoebo splendidior
rutilans, mitissime rector,
Ante pium Christum,
mundum qui condidit istum.
2. Dans constanter opem
languentibus atque salutem,
O venerande comes,
conserva te venerantes.
3. Caelica, Christe, tuis
qui praestas praemia sanctis,
Protege Luthardi
venerantes festa beati.

Responsoria.

1. O imitabilem virum
Et verum Christi famulum,
Qui pro Christo opes respuit,
Quas copiosas habuit;
V. Patrocinio ergo huius
Nos iuvari posse credimus.
2. Hic prudens . . . . . .
Obtulit ecclesiae,
Qui se Deo primitus,
Postea sua contradidit,
V. Corpus mactans ieiuniis,
Conferens opes ecclesiis.
3. Ora pro tuis famulis
Semper tibi devotis,
Electe Christi confessor,
Qui es regni possessor,
V. Transfer tuam familiam
Ad eandem gloriam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Insignis consul,
quamvis iam corpore exsul,
Hanc miserando tamen
devotam respice plebem.
2. Sanctus Luthardus,
regali stemmate natus,
Christo servivit,
cuius praecepta subivit
Pectore devoto
prudenter cordeque toto.

Responsoria.

1. Cultor iustitiae,
pietatis verus amator,
Egregius miles
Domini super astra levatur,
V. Cuius vita bona
meliore fine beatur.

Antiph. ms. Wisselense saec. 15. (Privatbesitz). — Diese Quelle ist Vesperale und enthält daher nur die AA und RR bis zum Invitatorium. Das weitere ist entnommen Acta SS. Sept. V, 110, wo ein Teil des Officiums (leider nicht das ganze) nach einer Hs. der Kölner Carthause mitgeteilt wird. Zum Officium gehört der Hymnus Anal. XII Nr. 282.

96. De sancto Marco.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Felix Marcus consummata
Proelii victoria
Semper sedet regnaturus
in caelesti curia.
2. Lauda Deum,
plebs christicola,

Sancti Marci sedula
Festa colens
laude magnifica.

3. Accepit mortis calicem
Marcus pro Christi nomine,
Stolam donavit simplicem
Iesus in caeli cardine.

4. In convertendis populis
Ad fidem Christi sedulus
Sanctus instat oraculis
Marcus; Petri discipulus.

5. Probat suum famulum
Christus in fornace,
Tamquam aurum optimum
Caeli ponit arce.

R. Pangat coetus iste laetus
Sancti Marci proelia,
Sonent voces laude plenae
Pro eius memoria,
Caelum, terra venerentur
[Eiusdem] sollemnia;
V. Beati Marci patrocinia
Confirment in Dei gratia.

Ad Magnificat.

A. Gaude, felix
Christi familia,
Sancti Marci
colens sollemnia,
Tanti patris
donata memoria,
Cuius mundum
replent praeconia,
Qui propinet
nobis suffragia
Et perducat
ad caeli gaudia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Almi Marci sollemnia
Mente colamus, Alleluia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sancti Petri discipulus
Et in baptismo filius
Fuit Marcus egregius,
Evangelista maximus.

2. De tribu Levitica
Marcus duxit originem,
Quem sancti Pauli dogmata
Sibi fatentur utilem.

3. Fratrum describit precibus
Romae Christi magnalia,
Quae tradit pastor ovibus
Servanda in ecclesia.

Responsoria.

1. Veneremur sanctum Marcum
Puro corde recolentes
eiusdem sollemnia,
Quo propinet suis servis
aeterna suffragia,
V. Pangat carmen sacer chorus.
Moduletur dulcis sonus
Sancti Marci gratia.

2. Reverendus sanctus Marcus
scripsit evangelium,
Quod probans beatus Petrus
coetui fidelium
Perlegendum tradit illud
contra mundi [i]dolum,
V. Alme Marce, pater pie,
Nostrae ductor esto viae,
Te rogamus supplices.

3. Sanctus Marcus, mundi iubar,
pergit Aquilegiam,
Cuius vita et doctrina
expellit malitiam,
Quae fideli mente currit
ad baptismi gratiam;
V. Aquileiensis patria
Recepta Dei gratia
Conservat innocentiam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Docet Aquilegiam
   Evangelista Marcus,
   Congregat ecclesiam
   Vir Dei praeclarus.
2. Sancti Marci clementia
   Hermagora convertitur
   Ac Petri providentia
   Praesul ibi statuitur.
3. Pergit Alexandriam
   Fidei amore,
   Non timet perfidiam
   Pro Christi honore.

Responsoria.

1. Fili Marce, ait Petrus,
   perge Alexandriam,
   Iesum praedica securus
   contra idolatriam,
   Ne pavescas iniquorum
   hominum perfidiam;
V. Coruscat miraculis
   evangelista Marcus,
   Fidem Christi praedicat
   populis vir sanctus.
2. Felix Marcus
   Aegypti populis
   Praedicabat,
   fulget miraculis,
   Destruuntur
   templa cum idolis,
   Gens ad fidem
   currit mirabilis,
V. Aegyptus tota
   repletur gaudiis
   Ordinatis
   multis ecclesiis.
3. Innocens Marcus manibus
   Per civitatem trahitur
   Ligatis collo manibus,
   Sanguis sacer funditur,
   Cunctis vociferantibus
V. Lapis, terra sanguine
   Sacro inficitur
   Pro Christi nomine.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lux immensa visitat
   Evangelistam Marcum,
   Carcerem illuminat
   Et confortat sanctum.
2. Laus, salus mea, Domine,
   Atque fortitudo,
   In tuo semper nomine
   [Virtutis] magnitudo.
3. In sancti Marci obitu
   Terra tenebrescit,
   Eius sancto transitu
   Caelum hilarescit.

Responsoria.

1. Mediae noctis tempore
   Suum coruscat famulum
   Christus clausum in carcere,
   Promittens vitae poculum,
   Tollens omne fastidium;
V. Intrat Marcus
   in caeli curiam,
   Omnis boni
   habet copiam.
2. Bis sanctus Marcus trahitur,
   Plaga plagis adicitur,
   Clamat ad Christum Dominum:
   Tibi commendo spiritum,
   Suscipe tuum famulum;
V. Christe clemens,
   [redemptor] omnium,
   Esto mihi
   salus, refugium.
3. In alto caeli
   consistorio,
   Pater Marce,
   splendes martyrio,
   Mundum sacro
   lustrans collegio
   Nos defende
   [tuo] praesidio
   Tuo gaudentes
   patrocinio;

V. Felix pater,
tua suffragia
Nos perducant
ad caeli gaudia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praeclara dies renidet,
Qua Marcus caelum penetrat,
In quo ut rosa redolet,
Nobis salutem postulat.

2. Manum viri
perfossam sobula
Sanctus sanat
baptismi undula
Eum lavans
cum sua domuncula.

3. Corpus sanctum
igni dum traditur,
Focus totus
statim exstinguitur,
Gens perversa
tota confunditur.

4. Fulgura, tonitrua
Et tempestas magna
Fugant omnes perfidos,
Cadit gens perversa.

5. Sanctum corpus tumulatur
Cum honore debito,
Gens fidelis contristatur
De patrono perdito.

Ad Benedictus.

A. *Post angelicam adlocutionem Deus Iesus visitare dignatus est famulum suum eique dixit: Pax tibi, Marce, evangelista meus! Ipse cum gaudio ait: Tu es laus mea et fortitudo, in te est omne desiderium meum.*

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

Sancte evangelista Marce,
Pastor dominici gregis,
Te deprecamur,
Ut intercedas pro nobis,
Ut mereamur,
Tecum esse in caelis.

Brev. ms. Novocomense anni 1420. Cod. Univ. Bononien. Mezzof. 339. — In 1. Vesp. **A** 4, 2 sedulis. — **R** 6 fehlen drei Silben; vgl. 1. Noct. **R** 1, 3. — In 1. Noct. **A** 2, 4 fatetur. — **R** 2, 8 doctor. — In 2. Noct. **A** 2, 4 sibi. — **R** 2, 3 Christum praedicabat. — In 3. Noct. **R** 1, 2 Lies Suum visititat, invisit? — In Laud. **A** 3, 2 igitur traditur. — Die prosaische **A** ad Bened. ist dadurch interessant, dafs sie den Wappenspruch der Republik Venedig enthält; auf dem offenen Buche des liegenden Markuslöwen stehen nämlich die Worte: Pax tibi, Marce, evangelista meus. — Die beiden zum Officium gehörigen Hymnen siehe Anal. XXII, Nr. 300 sq.

97. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat
Margaretam Dominus,
Dum ancillam humilem,
Castam, pulchram, pauperem
Martyrem respexit,
Quae mundum et daemonem,
Carnem et sanguinem
Potenter despexit;
Ergo suis precibus
Nostris victis hostibus
Nos ditet Dei filius
Huius sanctae virtutibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum iubilantes
Laudum per insignia,
Exsultemus venerantes
Margaretae sollemnia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine Dominus noster,
Valde es mirabilis,
Dum puella fragilis
Subicit sub pedibus
Omnia cum laudibus.

2. Caeli fulgens solio,
Solis amicta pallio
Tamquam sponsa de thalamo
Candore nitet niveo.

3. Domini virtus enarratur,
Parienti suffragatur,
Ubi pie invocatur
Margaretae vocabulum.

Responsoria.

1. Altioris imitatrix
Facta consilii,
Virgo, doctrix, martyr
Sponsi eximii,
In hoc cursu exsilii
Ad te suspirant filii,
V. Flos in florum virens areola,
Trina gaudes sortis aureola.

2. Rosa rubens hodie
De terra succisa,
Complantata liliis
Viret in deliciis
Gladio occisa,
V. Floret mundo miraculo,
Vivit Christo spectaculo.

3. Nobilis in moribus,
Humilis in honoribus,
Casta in deliciis,
Pauper in divitiis,
Abundans sponsi gaudio;
V. Res fecunda, res iucunda,
Quod puella fragilis
Stat insuperabilis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eructavit cor puellae
Verbum bonum sine felle,
Dulcius ori omni melle,
Perfusum rore gratiae.

2. Deus noster refugium
Factus singulare,
Margaretae solatium
Vovit augmentare,
Suo vultu hilari
Voluit hanc beare.

3. Fundamenta gratiae,
Christe, tu iecisti,
Fructus patientiae
Cum flore continentiae
Crescere fecisti,
Omnium laetantium
Gaudium perfecisti.

Responsoria.

1. O stupendam virginis
Huius fortitudinem,
Quae in se vitae veteris
Sic occidit hominem
Et potestates aeris
Vertit in formidinem;
V. Haec micat cum virginibus,
Oleum cum lampadibus
Gestat sponsa in manibus.

2. Ut speculum pudicitiae
Margareta emicuit,
Columba innocentiae,
Dum sibi nil retinuit
Et vi patientiae
Crudelem mortem pertulit;
V. Caritate vulnerata
Christo mori est parata.

3. Sitiebat virgo Christi
Devota martyrium,

Sicut sitit cervus fessus
Ad aquae fluvium,
Deum habens refugium;
V. Ex odore praegustato
Cursu currit haec beato.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantate Deo gloriam,
laudem et honorem,
Qui huic sacrae virgini
praestitit decorem,
Mercedi sanguineae
cumulavit florem.

2 Dominus hanc virginem
in caelo sublimavit,
Nostra terra iubilet,
hostem quia stravit;
Lux excaecatis,
nos iungito, virgo, beatis.

3. Cantate cum laetitia
Margaretae laudes,
Fecit mirabilia
Erroris pellens fraudes;
Psallite cum cantico,
Nam scandit haec cum iubilo.

Responsoria.

1. In candore puritatis,
In amore paupertatis,
In amore caritatis,
In splendore veritatis
Extendor in eculeo,
Cruore laeta roseo;
V. Talis excruciatio
Animae est salvatio.

2. O virtutum nutricia,
Non fastu mundi avida,
Non genitorum gloria,
Crucifigit vitia,
Dum carnis fugit dulcia;
V. A calore caritatis
Ardebat interius,
A candore castitatis
Lucebat exterius.

3. Oliva generosa
Lilio suffulta,
Rubens rosa non corrosa
Moribus exculta,
Apud sponsum Christum regem
Recommenda nostrum gregem;
V. Tuum privilegium
Ora nos sentire,
Esto reis refugium,
Levamen impertire.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Deus Margaretam
induit decore,
Cuius nunc parata
est sedes in honore.

2. Coronatur merito,
Quae sic triumphavit,
Quam nulla rei ambitio
Prorsus superavit.

3. Tu rosa patientiae,
Ebur castitatis,
Aqua sapientiae,
Lilium puritatis,
Tu viola humillima,
Iunge nos beatis.

4. Benedixisti, Domine,
istam creaturam,
Devotam tibi famulam
semper servituram,
Pro aeterna gloria
legem tenens duram.

5. Ista regi gloriae
Cara margarita
Inventa est hodie
Longius quaesita.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus
In suis donis omnibus.
Quod ista regis filia
Mundi contemptibilia
Cum vitiis despexit,
Virtutum laudes hodie
In turribus ecclesiae
Viriliter erexit,

Eam in dono gloriae
Per viam pacis et gratiae
Feliciter provexit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificet vox ecclesiae
Te Dominum misericordiae,
Qui Margaretam hodie
Oculo clementiae
Pie respexisti,
Incentorem superbiae
Brachio potentiae
Vincere fecisti,
Huius, Christe, precibus
In stadio certantes
Nos coniunge caeli civibus.

Brev. ms. Augustinian. saec. 15. Cod. Hanoveran. I 90. — In 1. Noct. A 1, 1 noster fehlt. — R 1, 3 Quia in se. — R 2, 5 Eius patientiae. — In 3. Noct. A 3, 4 pollens.

98. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Margaretam inclitam
Digne venceremur,
Moribus eximiam
Devote imitemur.

2. Virgo florem castitatis
Servans in honore,
Iugum Christi pietatis
Gestat in amore.

3. Regnum mundi et ornatum
Sprevit, amat caelica,
Corpus gerit illibatum
Vita fulgens angelica.

4. Tota mente, toto corde
Christo sponsa sine sorde
Servit, ut ardens facula
Amoris gerens iacula.

5. Audite hoc miraculum,
Videte hoc spectaculum,
Quod Margareta tenera
Scandit super sidera.

R. O oliva generosa
Lilio suffulta,
Rubens rosa non corrosa,
Moribus exculta,
Apud sponsum Christum regem
Recommenda nostrum gregem,
Ut vivamus in gratia
Et in perenni gloria.

V. Tuum privilegium
Ora nos sentire,
Esto reis refugium,
Levamen impertire.

Ad Magnificat.

A. Magnificat
Margaretam Dominus,
Dum ancillam humilem,
Castam, pulchram, pauperem
Martyrem respexit,
Quae mundum et daemonem,
Carnem et sanguinem
Potenter despexit;
Ergo suis precibus
Nostris victis hostibus
Nos ditet Dei filius
Huius sanctae virtutibus.

Ad Completorium.

Ad nunc dimittis.

A. Dominus magnifice
Hanc gemmam decoravit,
Dum sibi mirifice
Testem consecravit.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi regum iubilantes
Laudum per insignia
Exsultemus venerantes
Margaretae sollemnia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, Dominus noster,
Valde es mirabilis,
Dum puella fragilis
Subicit sub pedibus
Omnia cum laudibus.

2. Caeli fulgens solio,
Solis amicta pallio
Tamquam sponsa de thalamo
Candore nitet niveo.

3. Domini virtus enarratur,
Parienti suffragatur,
Ubi pie invocatur
Margaretae vocabulum.

Responsoria.

1. Sancta Christi
virgo Margareta,
In Domino confisa,
In conspectu
Olybrii rapta
Christum est
constanter professa;
V. Caelo mente coniuncta
Terrena respuit cuncta.

2. Virgo Dei Margareta,
Igne sancti
spiritus repleta,
In conspectu principum
Loquebatur sapientiam
Turpem Olybrii
Confutans insipientiam;
V. Infirma mundi eligit
Deus, ut confundat fortia.

3. Integra virgo fide
post tortoris cruciatus
Tortorum poenas
varios carnisque rotatus
Transit constanter,
Christum confessa gratanter.
V. *Quem vidit, quem amavit, in quem credidit, quem dilexit.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dilexit haec munditiam,
Spernens mundi spurcitiam,
Hinc oleo laetitiae
Uncta exsultans gloriae.

2. Hanc suspensam in aere,
Tortorum cinctam verbere
Protexit in periculis
Impetus summi fluminis.

3. O inclita virguncula
Quae inter tot pericula
Fundata sanctis montibus
Conculcas hostis impetus.

Responsoria.

1. Dum oraret sancta virgo
In carceris ergastulo,
Ecce, surgens de angulo
Draco aspectu horrido
Sponsam Christi absorbuit,
Sed medius mox crepuit;
V. Tua, Christe, sunt opera
Tuaque haec miracula.

2. Erepta martyr nobilis
Diri draconis faucibus
Daemonem forma hominis
Cernit ligatum manibus,
V. Exsultans Dei laudibus
Virgo hunc premit pedibus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Conclusa virgo carcere
Draconis in effigie
A daemone arripitur,
Sed a Christo eripitur.

2. Extensis caelo manibus
Tripudiat in laudibus,
In adversis virgo laeta,
Spe gaudens, Deo repleta.

3. Sancta Margareta, tuos
Famulos pio precatu
Ab omni culpa emunda,
Commendans Deo caelestium
Ut consortes facias gaudiorum.

Responsoria.

1. Sancta virgo Dei Margareta,
Spiritu et carne castigata,
De virtute in virtutem prodiit,
Unde in caelis lauream meruit,
V. Lampade succensa
vixit vigil irreprehensa.

2. In columbae specie
Virgo Margareta
Invitata gloriae
Plaudit laudes laeta,
Unde gaudens hodie
Psallit et propheta:
V. *Memor ero nominis tui, Domine, in omni generatione.*

3. Martyr Christi Margareta,
Stella lucens et serena,
Quae ministros durae mortis
Superasti, tyro fortis,
Fac nos ita decertare,
Ut possimus triumphare.
V. Procum suis cum tormentis
Spernit virgo sanae mentis,
Sponsum regem benedicta
Quaerit colens indevicta.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O quam credibilia
Tua testimonia
Sunt facta, Iesu Domine,
In Margaretae sanguine.

2. Haec passa flagra, carcerem,
Draconis diram aciem,
Intrat in exsultatione
Portas vitae et coronae.

3. Sitiens Deum anima,
Ne tardarentur praemia,
Sub spiculatione supplicat,
Pro cunctis Deum postulat.

4. Gratias ago regi saeculorum,
Qui dignam me habuit
In sorte sanctorum,
Ipsi hymnum dico,
Laudans et glorifico.

5. Corporis dulci tympano
Et claro vitae organo,
Benesonanti cymbalo
Psallebat virgo Domino.

Ad Benedictus.

A. Beata Christi
virgo Margareta
Felicis triumphi
pugna completa
Tandem sub spiculatoris gladio
Animam reddidit Domino,
Clara terris
et per multa beneficia;
Benedictus
Deus super sidera,
De cuius illi
praestatur gratia.

Brev. ms. Capit. Dusseldorpini saec. 15. Cod. Dusseldorpin. C 64. — In 2. Noct. **R** 2, 4 Circuit ligatum. — **R** 3 prosaisch. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** fehlt. — Die **A** ad Magn., das Invitat. und die drei **AA** der 1. Noct. sind diesem und dem vorhergehenden Officium gemeinsam.

99. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

R. O novella
Lucis stella,
Late fundens radium,
A procella
Nos, puella,
Duc ad vitae stadium;
V. Deo caeli placuisti,
Pro quo laete subiisti
Passionis gladium.

Ad Magnificat.

A. Mens adplaudat voci laete
Sacrosanctae Margaretae
Psallenti victoriam,

Non sit memor vitae spretae,
Sed se totam det dietae
Tendenti ad gloriam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laus invitatoria
Regi regum detur,
Et pro sponsae gloria
Sponsus adoretur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec ab Antiochia
Deo placens nata
Fit sanctorum socia
Per bella beata.

2. De prudentum numero
Esse figuratur,
Dum ad caulas humero
Perdita portatur.

3. Crescit virgo sapiens,
Fide roboratur,
Christum intus capiens
Christo famulatur.

Responsoria.

1. Dum Olybrius praefectus
Cernit pulchram facie,
Mox inflammat hunc aspectus
Iuvenilis gratiae,
V. Servos mittit ad electam,
Ut adducant hanc perfectam
Puellari acie.

2. Comprehensa Margareta
Viro contumaciae
Non oboedit nec decreta
Sequitur fallaciae,
V. Pensat fide, pensat voto,
Quod resistat corde toto
Potentis audaciae.

3. Deos vanos non adorat
Filia gentilium,
Christum colit, hunc implorat
Postulans auxilium;
V. Carcerata, virgis caesa
Miro modo, licet laesa,
Laudat Dei filium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sponsa Christi nobilis
Nimium afflicta
Permanet immobilis
Fide non relicta.

2. Iudicis blanditias
Horret et affatus,
Nullas hic delicias
Curat coniugatus.

3. Nil minarum vastitas
Prodest, nam decora
Ut servetur castitas,
Omni petit hora.

Responsoria.

1. Rursus virgo carceratur,
Et haec est eius cena:
Panis, aqua ministratur,
Sub hac manet habena;
V. Praeses iubet, ut claudatur,
Usque dum discutiatur,
Qua consumatur poena.

2. Dum in cella tenebrosa
Attente fundit precem,
Circa eam pars exosa
Stans eructat faecem,
V. Draco quidem cum serpente
Sua fauce, sua dente
Ad eius hiat necem.

3. Hanc utique concedimus
Precatu valuisse,
Quam signo crucis credimus
Draconem occidisse,
V. Per medium divisus est,
Dum visus est, dum nisus est,
Absorptam perdidisse.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hostis ab obstaculo
Virgo contremiscit,
Absorpta signaculo
Crucis reviviscit.

2. Signum salutiferum
Vere est beatum.
Per hoc ens mortiferum
Fugit superatum.

3. Hostem virgo Domini
Raptum per capillum
Quasi parem homini
Iugo calcat illum.

Responsoria.

1. Ad tribunal praesentata
Iudicis potentiae
Capitali iudicata
Subditur sententiae,
V. Fusa prece decollata,
Caelos scandit laureata
Custos innocentiae.

2. Haec, ut gesta res explanat,
Fulget adminiculo,
Corpus eius tactum sanat
Omnes a periculo;
V. Sunt obsessi, sunt contracti,
Sunt haerentes sani facti
Funeris lecticulo.

3. Laudet os dilectionis
Deum cum frequentia,
Qui est trinus in personis,
Unus in essentia,
V. Qui, ut ditet sanctos donis
Et nos salvet his patronis,
Affluit clementia.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Carnem, mundum, daemonem
Vicit Margareta,
Tota sancti spiritus
Munere repleta.

2. Huius deprecatio
Deo est accepta,
Quia precum ratio
Vota est adepta.

3. Tantis signis claruit
Ista data neci,
Ut per eam salvi sint
Muti, surdi, caeci.

4. Spiculator virgine
Dolet interfecta,
Dolens se interficit
Et fit pars adiecta.

5. Laudet Christi martyrem
Chorus angelorum.
Quia supplet numerum
Defectus eorum.

Ad Benedictus.

A. Haec est virgo gratiosa,
Quae virtute fructuosa
In mundo militavit,
Nam ut salus sit in domo,
Ne nascatur claudus homo,
A Deo impetravit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virgo Christi, Christo cara,
Inter Sion claras clara,
Nos, quo clares, fungi para
Claritatis speculo;
Quam elegit, quam amavit,
Te columba visitavit
Et beatam praesignavit
Sempiterno saeculo.

Antiph. ms. Cranenburgense s. sign. saec. 15. — Zu fehlen scheint A oder AA super Psalmos in 1. Vesperis, da in der Handschrift ein Blatt (fol. 34) fehlt. In 1. Vesp. wird ein Hymnus In trinitatis nomine erwähnt, der unbekannt scheint.

100. De sancta Margareta.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Nobilis in genere,
generosior actibus aere,
Pauper flos fidei,
dives amore Dei.
2. Matre carens electa Deo,
cui virgo beata
Iungitur in cunis,
praevia stella suis.
3. Virgo Dei, gaude,
quam ditat gloria laude,
Te regnante polo
gaudeat omnis homo.
4. Esca timor, rigat unda sitim,
mens grata ministra,
Lectus terra, lapis,
mansio carcer erat.

Ad Magnificat.

Sancta [virgo] Margarita,
Indigentes refice,
Petra firma et polita,
Nos labentes sustine,
Tu medela aegrotatis,
Sanis odor pietatis,
Gemiscentes refice.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum Deum venerantes,
Margaritam collaudantes,
Venite, adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lux erat in tenebris
non obscurata tenebris
Tus, aurum, dona
murrea mira ferens.
2. Cincta caput lauro,
iaspis, crystallus in auro,
Gemma clarens miseris,
semina grata serens.
3. Terrea linquentes
[lustrat] lux lucis egentes,
In lucem posuit
lux sine fine manens.
4. Proh dolor imbellis
tortorum caesa flagellis,
In visu populi
traditur agna Dei.
5. Agna lupum, caesa
caedentes vermibus esa
Vicit et illaesa
fructificavit ea.
6. Dedita tortori,
pia munera dans genitori,
Ut possit sprevit
vivere virgo mori.

Responsoria.

1. Copiosae castitatis
virgo plena floruit,
Quae columbam laureatis
delegare meruit,
Qui cruore et maerore
baptizantur proprio;
V. Baptizati visa ave
Baptizanti dicunt ave
Invito Olybrio.
2. Virgo Dei gloriosa
Stetit in periculo,
Margarita pretiosa
Facta in propatulo,
V. Sanctis sancta sociata
Plena fuit gloria.
3. Innocentem deglutivit
Rufus nocens proditor,
Ventre scisso diffinivit
Litem caeli conditor,
V. Hostem trusit, hanc exclusit
Pietatis gratia.
4. Heu, quo progreditur
Praevaricatio,

Serpens egreditur
Telluris gremio,
Hanc qui aggreditur
Ritu fratris solito,
Victus conteritur
Virginis imperio
V. Serpens mira referens,
Esse suum conquerens,
Precis cadens gladio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lamech planitie
recreavit milia quinque,
Margarita, Deus
vivit ad astra vocans.
2. Area poenarum
latescit, cedit amarum,
Huic pro morte salus,
fit bonus ante malus.
3. Omnia qui donat,
qui sanctos laude coronat,
Hac mediante Deus
suscitet ipse reos.
4. Hunc regat illa chorum,
populum quae rexit bonorum,
In Lamech Domino
sit pia virgo pio.
5. Expurget miseros,
maculis emundet ocellos,
Cui Deus occurrit,
cui diadema dedit.
6. Abscisso capite
caelesti reddita vitae,
Terrea discedit,
caelica vita redit.

Responsoria.

1. Inter suos aliena,
Verae vitis virgo vena
Vana sprevit et obscaena
Salvatoris fruens cena,
V. A telluris traxit faece
Necatorem sua nece.
2. Instiganti et latranti
Mitis fuit populo,
Quem convertit et bipertit
A pseustis ergastulo,
V. Hostem trusit, hunc exclusit
Ab omni periculo.
3. Modo vili, pleno bili
Atque deceptorio
Haec afflicta et districta
Stetit in praetorio,
V. Huius vultus et non cultus
Placuit Olybrio.
4. Lux in nube latuit,
Sed eclipsis nescia,
Dum sub felle meruit
Sibi dari dulcia,
Inter spinas floruit
Summi patris filia;
V. Creatorem creatura
Recolendo mente pura
Intravit caelestia.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Caelum colens, caelica,
Te colentes cole,
Vi virentes modica,
Gravi pressos mole,
Pia fove ethica
Vero lustrans sole.

Responsoria.

1. Inter faeces inculcata
Fide caecis oculata
Visum dedit, fecundata
Conditoris pneumate,
V. Verberantes verberata
Ad se traxit prece grata
Adsignavit chrismate.
2. Hic in valle lacrimarum,
Quae non sevit, messuit,
Dum potavit fel amarum,
Patri summo placuit,
V. Propinanti propinavit
Vitae potum domina

Et potatum collocavit
In caelesti gloria.

3. Hanc redemit Elisaeus,
Quo respirat omnis reus,
Demum cibat Melibeus,
Ut notavit Thimotheus,

V. Acta cuius intellexit
Olim tecta, post detexit,
Ut sint in memoria.

4. Pane caeli recreata
Panis vivi vere nata.
Esto nobis, virgo grata,
Egenis suffragio;

V. Salva sanos, aegros sana,
Mitigandum verum pana
Dedisti naufragio.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Virgo triumphalis,
Christi dilecta sodalis,
Nos refove, pravi
intima terge mali.

Ad Benedictus.

A. Virgo, decor puellaris,
Quae cum Deo gloriaris
Nobis sis antidotum,
Sic vis degat temporalis,
Ut perennet spiritalis
Rectam praebens methodum.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Sol inclinans radios
obvius descendit,
Dum haec stella solium
caelicum ascendit.

Ad Tertiam.

A. Hac consorte plauserat
angelorum chorus,
Luxu stellae fulserat
supernorum thorus.

Ad Sextam.

A. Pange, lingua, modicum
supplicantes doce,
Ut paterna volucris
hanc vocavit voce.

Ad Nonam.

A. Ut fruamur virginis
speciosis genis,
Collaudate [pueri]
Dominum de caelis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

V. Laudabilem Dominum
Omnes in hoc festo
Summo cordis iubilo
Laete collaudemus,
Haec est enim puella nobilis,
Caelesti regi desponsata
Et in sede gloriae
A dextris collocata.

Brev. ms. Cistercien. Italic. saec. 15. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 343. A. — Offic. ms. Florentina saec. 16. Cod. Florentin. Magliabec. XXXVI 75. B. — In 1. Vesp. **A** 2,1 Mater cadens A. — B hat, weil nicht monastisch, 5 **AA** super Ps. Zwischen **A** 2 und 3 schiebt es ein:

Solamen mundis immundos traxit ab undis,
Quos aluit sponso caelibe sponsa cibo.

Ad Magn. **A**, 1 Lies: Sancta virgo Margarita? — In 1. Noct. **A** 1. 2 fehlt A. — **A** 2, 2 lapis crystallus B. — **A** 2, 3 Gemma decens B. — **A** 3, 2 fehlen zwei Silben AB. — **A** 3, 3 Posuit lux A. — **A** 4, 4 traditur B. — **A** 5, 3 Vidit A. — **A** 6, 3 Ne poscit A; Ne possit B. — **A** 6, 4 vivere fehlt A. — **R** 1, 3 columbae laureati A. — **R** 1, 4 Delegari AB. — **R** 1, 8 Baptizati. — **R** 3, 2

Rufo B. — **R** 3, 3 Ventre fisso B. — In 2. Noct. **A** 1, 4 ad aethra B. — **R** 1, 2 Vere mitis A. — **R** 1, 6 Neccatorem sue nece A. — **R** 2, 1 lactranti A. — **R** 2, 2 Mittis A. — **R** 2, 4 Abse ustis A; Apse ustis B. — **R** 3, 1 Modo in pleno ac nobili B. — **R** 4, 8 Recolendo merita B. — In 3. Noct. **R** 1, 1 inculcatas A. — **R** 1, 2 caeci A. — **R** 1, 4 neumate B. — **R** 4, 4 hier hört B auf. — In Laud. Super Ps. **A**, 3 pravis A. — Ad Bened. **A**, 4 Sis vis A. — Ad Tertiam **A**, 4 thronus A. — Ad Sextam **A**, 2 Supplicante. — Ibid. 4. Huavit A. — Ad Nonam **A**, 2 cenis A.

Druckfehler.

S. 181 Zeile 3 von oben lies sponsi statt sponsae.

S. 255 ist ausgelassen: In 2. Vesp. ad Magn.:

A. Magnificet sanctum
devotio nostra Livinum,
Sanguine purpureum
civem super astra locatum;
O martyr, salve,
per saecula cuncta patrone,
Suscipe servorum
pia semper vota tuorum.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

	Seite
1. De sancto Eskillo	13
2. De sancto Eustachio	15
3. De sancto Eustachio	18
4. De sancto Eustachio	20
5. De sancto Evodio	23
6. De ss. Felice et Adaucto	25
7. De sancto Feliciano	27
8. De sancta Felicitate	29
9. De sancta Fide	32
10. De sancto Florentio	35
11a. De sancto Floriano	37
11b. De sancto Floriano	40
12. De Stigmatibus s. Francisci	42
13. De Stigmatibus s. Francisci	45
14. De sancto Gabriele	46
15. De sancto Gabriele	49
16. De sancto Gabriele	52
17. De sancto Gebehardo	53
18. De sancto Georgio	57
19. De s. Gertrude Nivellensi	60
20. De sancta Gertrude	63
21. De sancto Gerulpho	64
22. De sancto Godehardo	66
23. De sancto Goerico	68
24. De sancto Gorgonio	70
25. De sancto Grato	73
26. De s. Gregorio et Sociis	75
27. De sancta Gudila	78
28. De sancta Hedwige	79
29. In Translatione s. Hedwigis	83
30. De sancta Hedwige	86
31. De sancta Helena	90
32. De sancto Henrico	92
33. De sancto Hieronymo	95
34. De sancto Hieronymo	98
35. De sancto Hieronymo	101
36. De sancto Hieronymo	105
37. De sancto Hieronymo	107
38. De sancto Hieronymo	112
39. De sancto Hieronymo	115
40. De sancto Hieronymo	117
41. De sancto Huberto	121
42. De sancto Iacobo	124
43. De sancto Iacobo	127
44. De sancto Iacobo	129
45. De sancto Iacobo	131
46. De s. Iacobo Interciso	135
47. De sancto Ioachim	137
48. De sancto Ioachim	139
49. De sancto Iodoco	142
50a. De sancto Iodoco	146
50b. De sancto Iodoco	147
51. In Decollatione s. Iohannis B	147
52. De s. Iohanne B.	150
53. De s. Iohanne ante portam	154
54. De s. Iohanne ante portam	157
55. De Reversione s. Iohannis	159
56. De s. Iohanne Chrysostomo	160
57. De s. Iohanne Clusoniensi	163
58. De s. Iohanne Eleemosynario	166
59. De s. Iohanne Gualberto	167
60. De s. Iohanne Gualberto	171
61. De sancto Ioseph	175
62. De sancto Ioseph	178
63. De sancto Ioseph	181
64. De sancta Iuliana	184

Seite
65. De sancta Iuliana 186
66. De sancto Iusto 189
67. De sancto Kanuto duce . . 191
68. De sancto Kanuto rege . . 194
69. De sancta Katharina. . . . 197
70. De sancta Katharina. . . . 204
71. De sancta Katharina. . . . 207
72. De sancta Katharina. . . . 210
73. De sancta Katharina. . . . 212
74. De sancta Katharina. . . . 215
75. De sancta Katharina Suecica 219
76. De sancto Kentigerno . . . 222
77. De sancta Kunegunde . . . 224
78. De sancto Ladislao 227
79. De sancto Lamberto 230
80. De sancto Lamberto 233
81. De sancto Lamberto 236
82. De sancto Laurentio. . . . 238
83. De sancto Laurentio . . . 242
84. De sancto Leonhardo . . . 242
85. De sancto Leonhardo . . . 245
86 De sancto Leonhardo . . . 246
87. De sancto Leonhardo . . . 249
88. De sancto Livino. 253
89. De sancto Lubentio. . . . 256
90. De sancto Lucio 258
91. De sancto Ludgero 262
92. De s. Ludovico Episcopo . 265
93. De s. Ludovico Episcopo . 267
94. De s. Ludovico Episcopo . 270
95. De s. Luthardo 274
96. De s. Marco 275
97. De sancta Margareta . . . 278
98. De sancta Margareta . . . 281
99. De sancta Margareta . . . 283
100. De sancta Margareta . . . 286

II. Verbal-Index.

Adest dies digna coli 159
Adest dies laetitiae 249
Adest tempus vespertinum . . . 49
Ad honorem atque laudem . . . 32
Almi patris in natalitio 68
Antistes quidam per visum. . . 66
Augusta de patrono 73
Ave flos patriarcharum 137
Ave martyr dux Danorum . . . 191
Ave martyr praecipue 194
Ave virgo speciosa 212
Beate confessor Christi 242
Benedicta sit immensa. 210
Caesar dum Traianus 15
Christiana devotio. 70
Collatum miseris fidum 131
Crucis vox hunc adloquitur . . 45
Diem hanc condignis 166
Donata beneficia 127
Evodium genuit felix 23
Eximius ecclesiae 115
Exsultant caelestia 142
Felix adest matris memoria . . 29
Felix Marcus consummata . . . 275
Felix matrimonium 178
Festa refert annus nobis 78
Flos germen florum 265
Fons aeternae pietatis 227
Franciscus vir Seraphicus . . . 42
Fulget in orbe dies 86
Fulsit splendor firmamenti . . . 105
Gaude coetus fidelium 92
Gaude Sion ornata tympano . . 163
Gemma sacerdotum 146
Gloriosa rutilat 236
Gloriosa splendet orbi 124
Gloriosi confessoris 262
Gratulemur in honore 215
Habitator Deus caeli 75
Iens per mundi circula 112
Illuxit nobis hodie 64
Inclita sanctae virginis 197
Incliti militis tui 37
Inclitus est praesul 35
Iesu fons benignitatis 184
Iohannes Dei gratia. 160
Ioseph exortus regia 175
Iucundare Bethlehem 101
Iucundare superna patria . . . 204
Iucundemur in adventu 46
Laetare Germania. 79
Laetare Sion filia. 219
Laetare sponsa Christi. 181
Laudabile nomen Domini . . . 224
Laudate pueri Dominum 258
Laudate pueri puerum 253
Laude magna vox sonora . . . 107
Laudent Deum parvuli. 222
Laudent Sudermanniae. 13
Laude salutari fas est 189

	Seite
Laudibus aptati tironis	57
Laus sit regi gloriae Qui beatum	256
Ludovicus filius	267
Magna vox laude sonora	230
Magnificat Margaretam	278
Margaretam inclitam	281
Martyr Dei Laurentius	242
Miles Dei leo fortis	246
Munda caro sancti	154
Mundo festus instat dies	83
Nobilis in genere generosior	286
Nulli sit vanum venerari	27
O beate intercise	134
O christicolarum lux	95
O clemens Helena	90
O fortunata unio	25
O Ioachim laudabilis	139
O Lamberte pater nos	233
O laudanda bonitas	20
O Leonharde pater	245
O lux et decus Hispaniae	129
O novella lucis stella	283
O pium patronum	157
Palma digne triumphali	40
Psallat mater ecclesia	186
Qui sibi Gertrudem	63
Regi qui verbo virginem	52
Respiremus in beati	121
Salve sancte pater	274
Sancte Dei praesul	53
Sancte Laurenti Intercede	238
Sancti Ieronymi clara praeconia	117
Sidus Iohannes oritur	171
Sion plaude mater alma	18
Solaris dum volvitur orbita	60
Summi regis militi	167
Tecum fuit principium	270
Triumphanti concordando	207
Ut Christo debitas solvamus	98
Veneremur veneranda	147
Verba viri sapientis	147
Vox iucunda cor exsultans	150

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

69
5253
.A5

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO — 5, CANADA

10806.